MASTER
NEGATIVE
NO. 91-80200-13

MICROFILMED 1991

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES/NEW YORK

as part of the
"Foundations of Western Civilization Preservation Project"

Funded by the
NATIONAL ENDOWMENT FOR THE HUMANITIES

Reproductions may not be made without permission from
Columbia University Library

COPYRIGHT STATEMENT

The copyright law of the United States -- Title 17, United States Code -- concerns the making of photocopies or other reproductions of copyrighted material...

Columbia University Library reserves the right to refuse to accept a copy order if, in its judgement, fulfillment of the order would involve violation of the copyright law.

AUTHOR:

KIEHL, ERNST JULIUS

TITLE:

SPECIMEN LITTERARIUM INAUGURALE...

PLACE:

LUGDUNI BATAVORUM

DATE:

1850

Master Negative #

91-80200-13

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

88Ae7
TD

Kiehl, Ernst Julius, 1827-1873.
Specimen litterarium inaugurale De Prometheo Aeschyli denuo edendo, quod ... submittet Ernestus Iulius Kiehl ... Lugduni Batavorum, Brill, 1850.
viii, 110 p. 23½ cm.

Thesis. Leiden.
Vol. of pamphlets.

168035

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA IIA IB IIB
DATE FILMED: 8/28/91 INITIALS ER
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202

Centimeter

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

Kiehl

SPECIMEN LITTERARIUM INAUGURALE,

DE

PROMETHEO AESCHYLI DENUO EDENDO.

SPECIMEN LITTERARIUM INAUGURALE

DE PROMETHEO AESCHYLI DENUO EDENDO,

QUOD

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

IOANNIS DE WAL,

IUR. ROM. ET HOD. DOCT. ET PROF. ORD.,

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS PHILOSOPHIAE THEORETICAE
ET LITTERARUM HUMANIORUM DECRETO,

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITTERARUM
HUMANIORUM DISCIPLINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICO ATQUE SOLENNI EXAMINI SUBMITTET

ERNESTUS IULIUS KIEHL,

HAGANUS.

AD DIEM I IULII MDCCCL, HORA I—II.

IN AUDITORIO MAIORI.

LUGDUNI BATAVORUM,

APUD E. I. BRILL,

Academiae Typographum.

MDCCCL.

PARENTIBUS

OPTIMIS CARISSIMIS.

PRAEFATIO.

Exceptis haud ita multis, ad terminum usque productum erat praesens opusculum, cum repentina me causa coegit, ut illud quam celerrime intraque paucos dies, urgente praesertim Feriarum tempore, tamen in lucem mitterem.

Quare complura, quae perpolienda fuissent, ne hic rudia apparitura sint multum vereor: plura maxime ad perspicuitatem facientia invitissimus omisi, quin immo quaedam delere in ipsa officina coactus fui, cum typi idoneo numero non subessent.

Ignoscat igitur, velim, benignus Lector huic etiam vitio libelli mei; si temporis spatium superfuisset, hanc saltem ipsi maculam inferrinumquam passus essem.

De ipso specimine nil iam monendum superest; hoc demum adiicio, nisi expensarum metu detentum longe plura me daturum fuisse.

Sed haec iam mitto. Alia sunt, quibus Academicis Studiis valedicenti mihi perfungendum est, et quibus perfungi vere solatium mihi dicere pos-

sum. Nam hoc nemo ut spero aegre feret, sentient autem et intelligent, quicumque me hic cognorunt, me non posse Academiam sine moerore ac tristitia quadam gravissima relinquere. Non haec, opinor, virum dedecorant: ea est quam relinquo, quae mihi, ut alter Prometheus, cum infans fuissem ante hac, mentem dedit meique conscium me reddidit, qui eatenus videns frustra videbam, nec audiens exaudiebam; talis est denique, cuius eo gravius est desiderium, quo laetior mihique acceptior hic ipse dies solennis.

Sed ut universam Academiam, ita vos singulos desidero, qui magno numero, studio etiam maiore, semper mihi prospicere voluistis. Vos autem cum dicam, duplex urget invidia: talia enim sunt tempora, ut grato animo esse sine adulationis specie iam aeque difficile sit, ac libere loqui sine petulantiae rumore.

Te autem primum, amicissime COBET, *liceat enim hoc nomine abiturus te salutem, te appello, tu enim si quis alius me vulgi clamores, auramque popularem contemnere docuisti. Nec tibi quid debeam, praedicabo; quod spiro et valeo, si valeo, tuum est. Vos post ullum praeter hunc nominare, Clarissimi Viri, turpe mihi foret, et chartam culpo, quod invida alterum alteri antecedere iubeat, nec ut animus simul omnes complectatur. Vos studiorum duces, vos strenuos semper fautores cognovi, Clarissimi* BAKE, GEEL, PEERLKAMP; *tu mihi, Clarissime* RUTGERS, *remotissimae*

antiquitatis saluberrimam institutionem patefecisti, quanto labore, quantaque humanitate; tu siderum ortus, ut est in carmine, absconditosque occasus monstrasti, optime KAISER, *quem numquam magis amavi, quam cum severius de me iudicandum existimasti; nec te possum tacere, dilectissime* VAN DER BOON MESCH, *te quem felicem cognovi, cuius gravissimum luctum et sensi, et praesens vidi; tuque memorandus es, Clarissime* VAN ASSEN, *qui et ipse omnem lapidem movisti, ut mihi opitularere. Ultimus mihi sis abituro, quem primum cognovi, quem olim vidi parvulus, Clarissime* VERDAM, *te iam adultus expertus sum, studio eodem, eademque et patientia et voluntate.*

Vos autem, Commilitones, qui per varias patriae oras dispersi plures fortasse vel ex familiarissimis ignoratis, quale consilium derepente mihi obortum sit, vos quid sentietis? Ego enim si quis alius semper speraveram, in vestra illa splendidissima luce, cinctusque omnibus vobis, quos praesens vividissimo semper amore dilexi, ultimam vitae Academicae horam mihi exspectandam fore; at nunc audietis quasi nocturnum furem clam vestros me ordines deseruisse, deque numero vestro esse exemptum. Vos et ceteros appello, eosque prae ceteris, qui mecum fuistis, meumque iam locum tenetis in iis sodalitiis, ubi incumbentes Studiis et Amicitiae, *ubi* Philologicum *tuentes digladiari solebamus, et viros iuveniles exercere, ubi etiam origo fuit opusculi mei, ubi palaestram inveni,*

in qua me segniorem saepe incitatum, calidiorem saepius retentum vidi, et quorum pars magna fui. Vos mei, hoc rogo, memores estote, ego hos dulces, ut fert poeta, vel moriens reminiscar Argos.

Plures sunt, quibus hic locum destinaram, plures, qui suo fere iure hic stare et possent et deberent. Sed iam supersedeo, nec nisi vos mihi sitis pro ceteris nominatim appellati, Viri Doctissimi, LEEMANS *et* PLUYGERS, *quem mihi utrumque solus studiorum amor conciliavit, qui mei uterque, dum ille maneat, haud immemoresesse velitis.*

Ad finem perveni; cetera iam amicitiae invidentur. Sed et ego ut Prometheus, qui haec omnia noram, qui cunctor, et incassum moras necto? Non enim mihi exspectandus est quasi vento flagellatus dirus aerumnarum Oceanus, sed vitae laetissimus campus, in quem iam decurrendum est robore iuvenili.

INTRODUCTIO.

Fuit, cum nimis fortasse superbam opinionem animo conciperem, posse a me intra temporis aliquod spatium Editionem *Promethei* parari, quae superiores supervacuas redditura esset. Scilicet hoc non tam artis, quam laboris opus putabam; mihique patere subsidia quam plurima, hucusque nondum usurpata ab Editoribus.

Itaque edendi *Promethei* consilium cepi, speratagque subsidia investigavi. Multo labore consumpto, me nihil subsidii invenisse haud dubie intellexi, neque aliquid inventurum persuasum habeo.

Apparuit igitur, aut numerum Editionum sine utilitate augendum esse, aut ex iisdem subsidiis, quae Editoribus iam patuere, longe plura vel meliora eruenda. Quorum prius nolebam; quid attinet dicere omissum a me consilium edendi *Promethei*?

At omissum dico, non abiectum hocce consilium. Quare exponere, quid egerim hucusque et qua spe, narrare, quomodo deceptus fuerim, et quae restent spes et consilia, quaeque sit methodus redeundi ad antiquum propositum sine melioribus subsidiis trade-

re, aptum videbatur argumentum specimini ex genere eo, cuius est quod nunc confeci.

Eo magis incitabar ad opus eiusmodi, quod et ipse consilium meum non silentio oppressissem, et alii vulgassent. Quod cum iam per biennium fere cognosceretur, illud *Horatianum* timere incepi:

» quid dignum tanto feret hic promissor hiatu?"

Visus igitur mihi sum nugari, ni omisso saltem et in tempus aliquando futurum reiecto proposito, et quid fecerim, et quid facere in animo habeam, cum iis communicarem, qui haec inspicere volent.

Novam, inquam, nec modico volumine absolvendam *Promethei* Editionem parabam. Duplex erat eius finis.

Contrahere in unum volebam utilia quaeque ad ipsum poetam facientia, quae superiores tum Editores Aeschyli tum ceteri VV. DD. ad illustrandum summum *Tragicum* aut excogitassent ipsi, aut aliunde collegissent.

Itidem cupiebam, adiungere subsidia nova eaque magni momenti hucusque nondum usurpata. Nam opinabar, nisi hoc fecissem, ius mihi fore nullum spoliandi superiores interpretes; sin vero ipse afferrem, quae iam per sese necessariam redderent novam Editionem, ceteras omnes excerpendas duxi, ut denique ex eodem fonte quam plurima possint hauriri, neque amplius librorum inspiciendorum multitudo litteratos ab Aeschylo detineret.

Iam satis, opinor, apparet rei cardinem verti in

iis, quae pro subsidiis habui. Sunt illa numero tria, nempe:

1. *Scholia* in Aeschyli *Προμηθέα δεσμώτην*.
2. *Collatio Codicis Medicei* confecta a Cobeto V. Clar.
3. Hesychii *Lexicon*.

Igitur inquirendum erat, an ex his lucem *Prometheo* afferre possem. Inquisivi, et iam persuasum habeo, fere nihil bonae frugis nostro poetae *Collationi* inesse; *Scholiis* autem et Hesychio plane nihil.

Quo facto redactus fui ad fabulam coniecturarum ope emendandam. Neque hoc admodum feliciter mihi successit. Cum enim nihil antiquius habuerim attigerimve prius, quam ipsum textum quasi in succum et sanguinem vertere, fieri aliter non potuit, quam ut viderem multos vel ex iis locis ubi hoc agens verum invenerim, eadem ratione iam emendatos fuisse a VV. DD., qui olim *Prometheum* attigere, quorumque Commentarios nondum legissem.

Neque hoc me ab opere abduxit, iam multis nominibus a me dilecto. Per illud amavi, admiratusque sum splendidissimum poetam, nec temperare possem ab aperta significatione reverentiae simul et amoris, quibus plane divinum illum prosequor, si hic locus esset. Itaque ad prima initia redii, et cum persuasum habeam, omnem in Litteris scientiam ab observando originem capere, vel minutissima quaeque observare et annotare mihi proposui, dummodo inde Aeschylus illustrari possit.

Iam igitur trifariam ob ipsam rei naturam parti-

endum hocce specimen arbitratus sum, et quidem sic, ut *prima* pars exponeret, quaenam a me subsidia in quibus fontibus anquisita sint; *altera*, quid ipse coniectura primus tentarim; dum *tertia* pars spem futuram, novae investigationis viam et adminicula publici iuris factura esset.

At priusquam huc transeo, verbo monendum est, quid egerim, antequam subsidia inquirere coepi.

Fateor, imparatiorem huic operi me accessisse. Immo post lectum aliquotiens *Prometheum* statim Editioni fundamentum substructurus textum manu ita descripsi, ut confestim typis mandari posset. Atque *hoc* quidem commodi causa; describendi autem laborem ideo suscepi, quoniam ante omnia memoriae firmiter infigenda poetae verba putabam, neque illud aut melius, aut aliter fieri posse credidi.

Descriptione absoluta, cui brevi post accessit fragmentorum e tribus perditis *Prometheis* dispositio, statim ad ipsa subsidia conquirenda accessi, de quibus iam dicendum erit. Ordinem nempe, quem ex rei natura sequi modo tradebam, eum ut par est in hoc specimine servabo, argumentique distributionem. Continebit igitur haecce disputatio:

I. *Expositionem fontium*, unde nova subsidia me deducturum suspicatus eram, et demonstrationem, talia subsidia nulla esse in his fontibus, nempe:
   1. In *Scholiis* ad *Προμηθέα δεσμώτην*.
   2. In *Collatione Cobetiana Codicis Medicei*.
   3. In Hesychii *Lexico*.

II. *Novas lectiones*, quas primum per coniecturam me reperisse opinor.

III. *Expositionem Collectaneorum* et investigationum, quarum ope posthac illustrare Aeschylum conabor, nempe:
   1. Collectanei continentis *Vocabula eximie Promethea*.
   2. Collectaneorum de *Metris* et *Choro Aeschyleis*.
   3. Collectanei *Mythologici*.

Quibus praemonitis, nil amplius impedire opinor, quo minus confestim primam ipsius speciminis partem aggrediar.

I. EXPOSITIO FONTIUM.

1. Scholia ad Aeschyli *Προμηθέα δεσμώτην*.

Modo tradidi, me *Scholia Promethei* excerpsisse, quas novae Editioni adiuncturus essem. Feci hoc, secutus textum Butleri in Editione inscripta: Aeschyli *Tragoediae quae supersunt*, *Fragmenta*, *Scholia*, *ex editione* Thomae Stanleii, *cum Versione Latina*, *Commentario*, *Variis Lectionibus*, *Notis VV. DD. et* Samuelis Butleri. Cantabr. 8°. VIII Tomi. 1809—16. Sumpt. Acad.; quem librum ex Academiae Leidensis Bibliotheca usurpandum mihi concessit Geelius.

In hoc opere satis perspexi, nullam *Scholiis* utilitatem ad crisin *Promethei* inesse. Eo magis vero et dicendum est de ea re, et breviter absolvi potest propter inauguralem illam *Disputationem Criticam* V. Doct. C. M. Francken: *de antiquarum* Aeschyli *interpretationum ad genuinam lectionem restituendam usu et auctoritate*, Traiecti ad Rh., Kemink et fil. 8°. 1845; quae tamen disputatio solos *Promethei* et *Septem c. Th.* fabularum *Scholia* illustrat.

Dico, eo magis hac de re esse dicendum, eo facilius posse absolvi. Nempe Franckenus ut permulta diligentissime exposuit, ita mihi videtur nimium *Scholiis* tribuere, et hactenus errasse, quod non omnem »usum et auctoritatem ad genuinam lectionem resti»tuendam" iis denegarit.

Quod ut demonstrem, primum de ipsis *Scholiis* breviter exponam, secutus Butl. Praef. (VIII. p. viii—xi. xiv. xxv) et Franck. (p. iii—vi). Apud utrumque libri de quibus dicam accuratius circumscribuntur, neque igitur nisi verbo eos indicare in animo est.

Scholia trifariam divisa sunt: a Stanleio inde litteris *A'*, *B'*, *Γ'* distinxerunt Editores.

Scholia A' primus edidit Robortellus Ven. 1552. 2 Voll. 8° min. (prius Vol. textum Aeschyli tenet; ipsum librum Geelio debeo) e Codice antiquo Savelli amici, qui Codex fortasse *Mediceus* noster fuit. Dicit se invenisse ad tres Tragoedias sibi primas, *Prometheum*, *Septem*, *Persas*, explicationem duplicem, quam coniunxisse se refert, omissis quae prolixiora viderentur.

Bis haec *Scholia* suppleta sunt: semel e Codice *Med.* a P. Victorio in Edit. **H. Stephani 1557, 4°; iterum a Stanleio e Codice *Oxoniensi Barocciano*, ab hoc autem tantummodo quod ad easdem tres illas Tragoedias.

Scholia B' primus edidit **Stanleius e Codice *Arundeliano* sive *Seldeniano* in *Prometheum* et *Septem;* Butlerus *Persis* et *Eumenisin* adiunxit simillima, et quae ex eodem fonte hausta videntur.

Scholia Γ' primus edidit MORELLIUS in Editione **Promethei*, Lond. 1773, 4°. Ea credit FRANCKENUS esse partem illam a ROBORTELLO omissam, nam, inquit, »in Par. B. et Voss. 1 promiscue utraque legun»tur." Fieri hoc potest quidem, sed vix credo. Nempe haec *Scholia* praeter novem brevissimas notulas, ex eo genere cuius sunt *Scholia B'*, nonnisi 159 primos *Promethei* vss. explicant; ad hos vss. autem meliora sunt utrisque ceteris, et aeque longa ac *A'*. Itaque ROBORTELLUS, qui *Scholia* ad tres integras fabulas a se contracta refert, censendus esset hoc unice per paucos vss. fecisse, ibique tam infelici successu, ut optima quaeque praetermiserit.

Accedit, quod dicat ROBORTELLUS omissa a se esse prolixiora: *Scholia* autem *Γ'* longe minus prolixa sunt, quam *A'*.

Sed quaecunque demum eorum sit origo, nunc ad propositum non facit. Neque de ceteris in AESCHYLUM *Scholiis*, utpote *Prometheum* non spectantibus, hodie dicendum putavi, aut de ineditis, quae memorat FRANCK. p. VI sq.

Recte distinxit idem duo *Scholiorum* genera »scholia »literis *A* et *Γ* notata et Schol. *B*". Illa nempe *Scholia* sunt, hae *Glossae*: in Codd. illa *margines* tenent, hae *spatia interlinearia*. Nullum tamen AESCHYLI Codicem vidi praeter *Vossianos*, nec modo dicta aliter intelligi volo, quam *Scholia B'* esse eius generis, a *Scholiis* arctiore sensu diversi, quod in *Glossis interlinearibus* cernitur.

Non sequar FRANCKENUM, p. VII sqq. haec *Scholia*

minutius etiam dividentem et genera exquirentem, nempe et vera videntur quae dicit, et ad me non amplius faciunt. Ego tantum diversa etiam via ostendere conabor sequentia:

1. *Scholia A'* et *Γ'* singula non esse ab singulis confecta.
2. *Scholia A', B', Γ'* ex eodem fonte esse derivata.
3. *Scholia* haec omnia crisin non adiuvare.
4. *Scholia* haec tum singula, tum ubi conveniunt, saepissime nugari.

Ceterorum finis apparet; primum ideo ostendere volui, quo expectatio de ineditis minuatur, quae de quartis *Scholiis* fortasse quaedam esse posset, de octavis profecto nulla erit.

1. *Scholia A' et Γ' singula non sunt a singulis confecta.* Primum hoc argumento facili nec addubitando statim evincam. Nempe in utrisque his *Scholiis* saepe occurrit signum duplicis originis certissimum, vocabulum ἄλλως (*aliter*, = *aliunde*) et quidem adeo saepe, ut habeamus eo vocabulo divisa:

Scholia A' bifariam locis 32: vss. 18. 77. 88. 90. 134. 151. 170. 178. 193. 226. 345. 358. 367. 471. 483. 498. 536. 576. 577. 625. 656. 711. 722. 729. 740. 829. 834. 846. 892. 903. 949. 1021.

» » trifariam » 5: vss. 5. 209. 275. 557. 935.

Scholia A' quadrifariam locis 1: vs. 330.
Scholia Γ' bifariam » 6: vss. 1. 5. 22. 36. 49. 106.

nempe in 159 vss.: quo nasceretur numerus 42 locorum de omnibus 1092 vss. *Scholia A'* in his 159 vss. habent locos 5. Numeri sunt BUTLERI quem in *Scholiis* adducendis sequor: fere nihil discrepat SCHUTZIUS.

2. *Scholia A', B', Γ' ex eodem fonte sunt derivata.* Huius rei finis hic est: ostendens omnia ex uno fonte fluxisse varietatem testimonii, quae ad crisin tanti momenti esse possit, nullam apparere evincam.

Adscribo exempla quae hoc demonstrent: eaque prae ceteris, ubi *Scholia composita* communia sunt. Non vero adducam, nisi ex 159 primas vss. ad quos solos exstant *Scholia Γ'*. Typi in ipsis *Scholiis* diversi convenientes inter sese partes produnt.

1. *A'. ΤΗΛΟΥΡΟΝ ΠΕΔΟΝ*: — *τὸν Καύκασον λέγει. Ἰσέον δὲ ὅτι οὐ κατὰ τὸν κοινὸν λόγον ἐν Καυκάσῳ φησὶ δεδέσθαι τὸν Προμηθέα, ἀλλὰ πρὸς τοῖς Εὐρωπαίοις τέρμασι τοῦ Ὠκεανοῦ, ὡς ἀπὸ τῶν πρὸς τὴν Ἰὼ λεγομένων ἐςὶ συμβαλεῖν*: — Haec ab *ἰςέον* inde totidem BUTL., BLOMF., WELL. nisi quod ibi *μέρεσιν* exstat, hic *τέρμασιν*, et *ἔξεσι*, hic *ἐςί*. Et sic *Aldina* argumenti editio.

ΤΗΛΟΥΡΟΝ δὲ διὰ τὸ πολὺ τοῦ ὄρους ἐνταῦθα ἐκάλεσεν, ἤγουν τὸ ἐπὶ πολὺ διῆκον καὶ ἕλκον τὰ οἰκεῖα ὄρια μακράν· ἢ διὰ τὸ ὑψηλὸν, ἀφ' οὗ πόρρω τις ὁρᾶν δύναται: —

2. *ΣΚΥΘΗΝ ΟΔΟΝ*: — *ἤγουν τὴν Σκυθικὴν ὁδὸν· ἵνα γὰρ ἀπαραμύθητος εἴη ὁ Προμηθεὺς διὰ τοῦτο ἐς ἐκείνους τόπους ἄγουσιν, ὡς καὶ Σοφοκλῆς τὸ αὐτὸ περὶ Φιλοκτήτου λέγει* (cogitavit f. de vs. 486 sq.:

Φιλοκτήτης. *ἀλλὰ μή μ' ἀφῇς*
ἔρημον οὕτω, χωρὶς ἀνθρώπων ςίβου).

Ἢ διὰ τοῦτο Σκυθικὴν ὁδὸν εἶπε, διότι Σκύθαι κατῴκουν τὸν Καύκασον, ἢ διὰ τὸ ἄγριον καὶ ἀπάνθρωπον τοῦ τόπου. Ὅτι δὲ τοιοῦτος ὁ τόπος ἐκεῖνος, δῆλον ἀπὸ τοῦ εἰπεῖν ΑΒΑΤΟΝ ΕΙΣ ΕΡΗΜΙΑΝ: —

Jam videamus ad eosdem vss. *Scholia B'* et *Γ'*.

B'. ΤΗΛΟΥΡΟΝ: — *ὑψηλὸν, μακρὸν, ἀφ' οὗ τῆλε καὶ μακρὰν ὁρᾶν τις δύναται. Λέγει δὲ τὸν Καύκασον, ἢ τὸ ἀκροθεν ὁρώμενον τὰ οἰκεῖα ὄρια, ἤγουν τὸ μακρὸν καὶ εἰς πολὺ τεταμένον. Ἢ διὰ τὸ πολὺ τοῦ ὄρους ἐκάλεσεν αὐτὸ τηλουρὸν τὸ ἐπὶ πολὺ ἕλκον, ἢ διὰ τὸ ὕψος. Ἰσέον ὅτι ἐν τῷ Καυκάσῳ οὐ φησὶ δεδέσθαι τὸν Προμηθέα, ἀλλὰ πρὸς τοῖς Εὐρωπαίοις τέρμασι τοῦ Ὠκεανοῦ, ὡς ἀπὸ τῶν πρὸς τὴν Ἰὼ λεγομένων ἐςὶ συμβαλεῖν*: —

2. *ΣΚΥΘΗΝ ΟΔΟΝ* (SCHUTZ. *Σκυθῆν* perp.): — *Σκυθικὴν ὁδόν. Ἢ διὰ τὸ ἀπαραμύθητον τοῦ δεθησομένου, καὶ Σοφοκλῆς τὸ αὐτὸ περὶ Φιλοκτήτου λέγει. Ἢ ὅτι ἐπειδὴ † Σκύθαι κατῴκουν τὸν Καύκασον οἱ καὶ ἄγριοι καὶ ἀπάνθρωποι Σκυθικὴν ὁδὸν εἶπε*: — Videtur superiora non intellexisse, qui hoc scripsit, aut turbata legisse.

ΑΒΑΤΟΝ: — *εἰς ἣν οὐδεὶς βαίνει διὰ τὸ τραχύ*: —

1. *Γ'. ΤΗΛΟΥΡΟ'Ν:* — *τὸ ὄρος τοῦ Καυκάσου, ἀπὸ τοῦ ΤΗ˜ΛΕ καὶ 'ΟΡΩ˜, ἢ τὸ τῆλε καὶ μακρὰν τῶν ὁρίων ἡμῶν:* —

Ἄλλως. ΤΗΛΟΥΡΟ'Ν εἶπεν εἰς τὸ ἀπαραμύθητον τοῦ δεθησομένου· καὶ Σοφοκλῆς τὸ αὐτὸ περὶ Φιλοκτήτου λέγει. Ἢ εἰς τὸ τηλοῦ τὸν ὄρον ἔχων, ὃ ἐςὶ πόρρω, τουτέςι τὸ μακρὰν ᾠκισμένον: —

2. *ΑΒΑΤΟΝ:* — *δύσβατον:* —

Brevissima *Scholia* duo *Γ'*, unum *Β'*, huc non facientia omisi, et similia omittam in posterum.

5. *Α'. ΤΟ'Ν ΛΕΩΡΓΟ'Ν:* — *τὸν Προμηθέα λέγει τὸν ὀφείλοντα ἔργον λάεσιν ἤτοι λίθοις, οἱονεὶ τὸν ἔχοντα ἔργον τοῖς λαοῖς ἀπαγγέλλειν τὰ τῶν θεῶν ἔργα καὶ βουλεύματα. Ἢ τὸν τοὺς λαοὺς ἐργασάμενον, ἤγουν τὸ τῶν ἀνθρώπων πλῆθος· οὗτος γὰρ μυθεύεται πλάσαι τὸν ἄνθρωπον:* —

Ἄλλως. ΛΕΩΡΓΟ'Ν (continuant S. Butl.): — *τοῖς λαοῖς ἔργα παρασχόμενον διὰ τοῦ πυρός· ἢ τὸν ἄξιον γενέσθαι ἔργον καὶ παρανάλωμα λαῶν, τουτέςι λίθων:* —

Ἄλλως. ΛΕΩΡΓΟ'Ν (cont. S. B.): — *τὸν λαοῖς ἔργον ὀφείλοντα γενέσθαι:* —

Β'. ΤΟ'Ν ΛΕΩΡΓΟ'Ν: — *τὸν τοῖς λαοῖς ἔργα παρασχόμενον διὰ τοῦ πυρός· ἢ τὸν ἄξιον ἔργον καὶ παρανάλωμα λίθων γενέσθαι, ὡς κλέπτην καὶ θεῶν παρήκοον:* —

Γ'. ΤΟ'Ν ΛΕΩΡΓΟ'Ν: — *τὸν Προμηθέα, πανοῦργον:* —

Ἄλλως. Ὡς ὀφείλοντα γενέσθαι ἔργον λαοῦ, οἱονεὶ τὸν ἄξιον λιθασθῆναι (λευσθῆναι Faehsius, recte) *· ἢ τὸν τοὺς λαοὺς ἐργαζόμενον, μυθεύεται γὰρ καὶ λίθους πλάσαι τοὺς ἀνθρώπους:*—

17. *Α'* (ad 12). *Τὸ γὰρ ἔξω ὥρας καὶ φροντίδος τίθεσθαι καὶ ποιεῖσθαι τὰς τοῦ πατρὸς Διὸς προστάξεις, τοῦτο γάρ ἐςὶ τὸ 'ΕΞΩΡΙΑ'ΖΕΙΝ ΠΑΤΡΟ'Σ ΛΟ'ΓΟΥΣ ἤτοι παραβλέπεσθαι, χαλεπὸν καὶ ἐπικίνδυνον:* —

Β'. 'ΕΞΩΡΙΑ'ΖΕΙΝ: — *ἄθετον καὶ ἔξω ὥρας καὶ φροντίδος ποιεῖσθαι:* —

Γ'. 'ΕΞΩΡΙΑ'ΖΕΙΝ: — *καὶ ἔξω ὥρας τιθέναι καὶ ἀποβάλλειν, ἔξω φροντίδος ποιεῖν, ἀπορρίπτειν, ΒΑΡΥ˜ καὶ χαλεπὸν καὶ ἐπικίνδυνον ὑπάρχει:* —

22. *Α' ΣΤΑΘΕΥΤΟ'Σ:* — *φλογιζόμενος· ΣΤΑΘΕΥ'ΕΙΝ γὰρ τὸ κατ' ὀλίγον ὀπτᾶν φασὶν οἱ 'Αττικοί:* —

Β'. ΣΤΑΘΕΥΤΟ'Σ: — *ἱςάμενος καὶ φλογιζόμενος. ΣΤΑΘΕΥ'ΕΙΝ φασὶν 'Αττικοὶ τὸ κατὰ μικρὸν καίεσθαι, ἀπὸ τοῦ ΙΣΤΗΜΙ ΣΤΗ'ΣΩ, καὶ τοῦ ΑΓ"ΘΩ τὸ ΚΑΙ'Ω γινόμενον:* —

Γ'. ΣΤΑΘΕΥΤΟ'Σ: — *ὀπτώμενος, φλογιζόμενος. ΣΤΑΘΕΥ'ΕΙΝ γὰρ τὸ κατ' ὀλίγον ὀπτᾶν:* —

Ἄλλως. ΣΤΑΘΕΥΤΟ'Σ: — *ἀπὸ τοῦ ΙΣΤΗΜΙ ΣΤΗ'ΣΩ καὶ τοῦ ΕΥ"Ω τὸ ΦΛΟΓΙ'ΖΩ, ὁ ἐν τῷ ἵςασθαι φλογιζόμενος. 'Αττικὴ ἡ λέξις· ἢ τὰ κατ' ὀλίγον ἐψυγμένα καθὰ παρὰ τοῦ κοινοῖς? ἔψηται:* —

51. *Α'. 'ΩΣ ΚΩ'ΛΟΙΣΙΝ:* — *ἐν χερσὶ καὶ ποσὶ τὰ δεσμὰ ἔχει:* —

Β'. ΣΤΕΙ'ΧΩΜΕΝ: — *ἀποχωρῶμεν:* —

'ΩΣ: — *ἐπεί:* —

ΚΩΛΟΙΣΙΝ: — *ἐν τοῖς ἀρθροῖς αὐτοῦ, τοῖς ποσίν:* —

ΑΜΦΙΒΛΗΣΤΡ': — *δεσμά:* —

Γ'. ΣΤΕΙΧΩΜΕΝ: — *βαδίζωμεν, ὑποχωρῶμεν, συμβουλευτικόν. Ἐπεὶ ποσὶ καὶ χερσὶ τὰ δεσμὰ ἔχει, τουτέςιν ἅπαν τὸ σῶμα προσήλωται, ἀναχωρῆσαι χρεία:* —

Satis ex hisce apparet, *Scholia A', B', Γ'* ex eodem fonte fluxisse, quod ceteroquin iam FRANCKENUS docuerat (p. XIV). Idem ipso consentiente verum est de *Scholiis* FAEHSII (e Cod. *Paris.* B., 2787, cuius apographus est *Voss.* 2 ap. FRANCK. p. VII; 23 f. max.), sed hoc nunc quidem ad propositum non pertinet.

3. *Scholia haec omnia crisin non adiuvant.* Magna ex parte hoc iam e superioribus apparere potest, ego ut ostendam, breviter dicturus sum de illis locis, ubi scripturae medelam ab hisce *Scholiis* afferri putat FRANCKENUS. Nempe hic, si quis alius, censendus est omnes istiusmodi locos notasse.

FRANCKENUS autem affert, vulgatisque anteponendas dicit *varias lectiones* sequentes e *Scholiis*, quae adducam:

Ad vs. 235. *ἐξελυσάμην B'* pro *ἐξερυσάμην.* Iam habet *La.*

236. *τοῦ μή A'* » *τὸ μή* (*La.*).

381. *προμηθεῖσθαι A'* » *προθυμεῖσθαι.* Iam habet *La.*

400. *ῥαδινῶν A'. B'* » *ῥαδινόν.* Iam habet *La.*

483. *ἐξαμύνωνται B'* » *ἐξαμύνονται* (*A'. La.*).

Ad vs. 490. *εὐωνύμους τε B'* pro *εὐώνυμοί τε* (*A'. La.*).

662. *ἀσήμως B'* » *ἀσήμους* (*A'. La.*)

875. *λόγου A'* » *χρόνου.* Iam habet *La.*

950. *αὔθ' ἕκας' A'* » *αὐθέκας'.* Iam habet *La.*

Numeri sunt iidem, quos semper in textu adducam, G. DINDORFII in opere: *Poetae Scenici Graeci. Accedunt Fragmenta.* Lips. Weidm. 1833. 4°. *La.* est Cod. *Mediceus* (XXXII. 9) de quo mox.

Iam, opinor, consentiet unusquisque, tali fundamento novam Editionem superstrui non posse. Sed ipsum illud fundamentum longe etiam debilius est, quam prima specie videtur.

Scilicet FRANCKENUS his *novem* locis meliorem lectionem e *Scholiis* apparere censet.

At earum lectionum *quinque* (vss. 235. 381. 400. 875. 905) iam habet *La.*, nec igitur *Scholia* afferre possent, nisi confirmationem huius egregii MS., ubi hoc ipsum vera protulit.

Haec confirmatio si qua esse possit, saltem nulla est in *quattuor* (vss. 381. 400. 875. 905.) ex iis *quinque* lectionibus, ductae enim sunt illae ex *Scholiis A'*, quae partim leguntur in ipso *La.*, lectionesque exhibent pertinentes ad textum longe peiorem eo, quem exhibet Codex. Siquidem vero in incertioribus nullam certiorum confirmationem invenire possumus, etiam haec his *quattuor* lectionibus nulla inest.

Itaque *dimidia* pars lectionum, qui FRANCKENO

persuaserunt, habere haec *Scholia* »usum et auctoritatem ad genuinam lectionem restituendam," haec dimidia pars eo redacta est, ut *una* lectio Codicis *Medicei* confirmetur *fortasse*, nempe si, quod non verum est, auctoritatem ullam ad lectionem aliquam confirmandam haberent *Scholia B'*.

Ceteri *quattuor* (vss. 236. 483. 490. 662) lectiones diversae sunt a *Mediceis*; immo earum *tres* (vss. 483. 490. 662) quae *Scholiis B'* debentur, diversae sunt a lectione *Scholiorum A'*, ita ut FRANCKENUS inde *illorum* auctoritatem demonstrare nequeat, nisi *horum* fide eversa. Cuius rei eo maior est momentum quod ipse dicat pag. XIV: »Scholiasten *B* non »alios quam prioris interpretis" (schol. *A'*) »commentarios secutum esse," quibuscum optime conveniunt, quae modo de communi utrorumque *Scholiorum* fonte disputavi.

Deinde in *tribus* (vss. 236. 483. 662) horum locorum FRANCKENUS malas lectiones pro bonis habuit.

235 sqq.: *Προμηθεύς.*

ἐγὼ δ' ἐτόλμησ', ἐξελυσάμην βροτοὺς
τοῦ μὴ διαρραισθέντας εἰς Ἅιδου μολεῖν.

Sic *Schol. A'*, eumque secuti DF. FR., ut ceteri Editores. Sed *La.* τὸ μή, et ita ROBORTELLUS, cuius Editio sola praeter *Mediceum* Codicem ullam, si qua est, auctoritatem habet diplomaticam, quam vocant, nempe auctoritatem veteris documenti.

Lectio igitur antiquior est τὸ μή, eademque melior, scilicet ἐκλύεταί τις τοῦ μολεῖν, *ab* itinere, sed τὸ μὴ μολεῖν, *eo eventu*, *ut* iter ne faciat. Oblo-

quuntur tamen WELL. BLOMF. HERM. ***Obss. Crit.* p. 5. *Vig.* n. 271.

481 sqq. *Προμηθεύς.* *ἐγὼ σφίσιν*
ἔδειξα κράσεις ἠπίων ἀκεσμάτων
αἷς τὰς ἁπάσας ἐξαμύνονται νόσους.

Sic *La.*, *Rob.* et *Schol. A'*. At FR. ἐξαμυνωνται e *Schol. B'*. Sed coniunctivum Latinam structuram esse, non Graecam, me docuit COBETUS, et indicativus, etsi non certus, vitio tamen quantum scio nullo laborat.

661 sq. *Ἰώ.* *ἧκον δ' ἀπαγγέλλοντες αἰλοστόμους*
χρησμοὺς ἀσήμους δυσκρίτως τ' εἰρημένους.

Sic *La.*, *Rob.*, *Schol. A'*. At FR. ἀσήμως e *Schol. B'*. Varie in utramque partem disputare potest, nec ipse FR. aliud dicit nisi: »Mihi prius" (ἀσήμως) »magis placet." Sed et contra archetypum sine causa nil mutandum est, et ἀσήμως non esset nisi tautologia, quoniam δυσκρίτως plane idem significaret. Mecum stant BLOMF. WELL. ad h. l.

Itaque et hic superest unicus locus, vs. 490, ubi lectio *Schol. B'* εὐωνύμους τε melior esse potest alteri, εὐώνυμοί τε, ut habent *La. Rob. Schol. A'*. Meliorem saltem, ut ceteros taceam, iudicant DINDORFIUS, BLOMFIELDUS (1), ELMSLEIUS; ego in eandem sententiam propensus nihildum pronuntiare audeo.

Apparet, nonnisi duos locos superesse, vs. 235,

(1) Aeschyli Prometheus Vinctus. Cum Notis et Glossario. Edidit C. I. Blomfield. Editio emendatior cum annotationibus P. Elmsleii et indicibus. Lips. Hartmann. 1822, 8°. — Edidit et ceteras AESCHYLI fabulas.

ubi *Schol. B'* lectione Cod. *Med. fortasse* confirmant, vs. 496, ubi eadem *verisimillime* bonam lectionem praebent. Non opinor me nimium fuisse, cum ab his *Scholiis* crisin non adiuvari dixi. A FRANCKENO autem quod tantisper dissentiendum mihi fuerit, doleo; iucundissimus mihi fuit et utilissimus eius liber, nec nisi eo errare illum opinor, quod nimium copiis suis tribuerit.

Leviora argumenta addam duo, quibus vis *Scholiorum* minuatur. Alterum est quod nomina mensium Latina in iis inveniantur, unde apparet, hoc *Scholion* aut non antiquum esse, aut non in Graecia confectum. Est illud *A'* ad 458. *Δυσκρίτους*: — *δυσκαταλήπτους, δυσγνώςους, οἷον ὅτι Ὠρίων ὅταν δύνῃ, χειμῶνα ποιεῖ. Ταύτην τὴν εὕρεσιν καὶ Παλαμήδη* (l. *Παλαμήδει* Cob.) *προσῆψεν. Ἴσως δὲ κἀκεῖνος ὑπὸ Προμηθέως ἔμαθε ταῦτα, οἷον* (l. *ταῦτα. Οἷον*) *καὶ ἐπὶ Πλειάδων, ὅταν γὰρ αὐταὶ ἀνατέλλουσι τὴν ἑωθινὴν ἀνατολὴν τῷ πρωὶ κατὰ τὸν Μάιον μῆνα εἰς τὴν ιβ' καὶ εἰς τὴν ιγ', τότε δὲ ἄρχεσθαι τοῦ ἀμήτου ἢ τοῦ θέρους· καὶ πάλιν μελλουσῶν δύναι* (B. perp. *δύναι*) *ἢ κρυβῆναι τὴν ἑσπερίαν δύσιν, ἤτοι τὸ Ὀκτόβριος καὶ Νοέμβριος, ποιεῖ* (l. *ποιεῖσθαι*) *ἀρχὴν ἀρότου ἢ τοῦ σπείρειν*: —

Alterum argumentum est, quod *Scholia* tum ipsius AESCHYLI exhibent textum *Mediceo* longe priorem, tum quantum scio fragmentum nullum adducunt nondum aliunde cognitum. Quorum prius luculentissime apparebit, simulatque ediderit FRANCKENUS indicem suum omnium Variarum in *Scholiis* Lectionum, quem pag. II promittit sese daturum.

4. *Scholia haec tum singula, tum ubi conveniunt, saepissime nugantur.* Quae ipsa mihi causa fuit, ut ea ad futuram Editionem *excerpserim*, non transscripserim.

Quod ut probem, initium faciam ab errorum genere quod facilius excusari queat, subiiciam aliquot excerpta, quae meras ineptias ostendent: typi mutati verba produnt, quae volo. Ceterum nihil dico de nugis etymologicis, quae in his ut in omnibus *Scholiis* apparent; si qui eiusmodi quid requirant, conferant *A'* ad vss. 24. 85. 90. 134. 151. 366. 559. 570. 619. 711. 722. 935, *B'* ad vss. 5. 22. 134. 365. *Γ'* ad vss. 24. 37. 53. 102. 118. 122. 132. 151.

A' ad 42. *Α'ΙΕΙ* (perp. pro *ἀεί*) *ΤΕ ΔΗ' ΝΗΔΗΣ ΣΥ*: — *πρὸς τὸν Δία τοῦτο φησίν, οὐ πρὸς τὸ Κράτος, Τὸ γὰρ κράτος, ἤτοι ἡ τοῦ Διὸς ἐξουσία, αὐτός ἐςὶν ὁ Ζεὺς· πρὸς αὐτὸν οὖν τὸν λόγον ποιεῖται· εἰ γὰρ πρὸς τὸ Κράτος ἔλεγεν, οὐδετέρως ὤφειλε τὸν λόγον ἀποδοῦναι*: —

570. *Ε"ΙΔΩΛΟΝ "ΑΡΓΟΥ* (Sequitur *γηγενοῦς, ἀλεῦ δᾶ* pro quo ille legit *Ἀλευάδα*): — .... *"Αλλοι δὲ γράφουσιν Ἀ΄ΛΕΥΑ΄ΔΑ, πατρωνυμικὸν ἀπὸ τῆς Ἀ΄ΛΕΥ΄ΑΣ εὐθείας· ἤτοι φοβοῦμαι εἴδωλον "Αργου τοῦ Ἀλευάδα καὶ τοῦ υἱοῦ τοῦ Ἀλεύα. Ὁ γὰρ Ἀλεύας πατὴρ ἦν τοῦ πανόπτου κτέ*: —

592. *ΤΗ΄Σ Ἰ΄ΝΑΧΕΙΗΣ*: — *διὰ τοῦ τὸν πατέρα αὐτῆς ὀνομάσαι, ἐνέφηνεν ἑαυτὸν μάντιν, ὡς καὶ παρ' Ὁμήρῳ ὁ Τειρεσίας* (λ. 100).

νόςον δίζηαι μελιηδέα, φαίδιμ' Ἀχιλλεῦ.

Notum est, apud HOMERUM exstare *Ὀδυσσεῦ*, ne-

que apud eum aut Achillem cum Tiresia colloqui, aut umquam reditum serio molitum esse.

792. *ΠΡΟΣ ΓΟΡΓΟΝΕΙΑ ΠΕΔΓΑ*: — *ἥτις Κισθίνη πόλις ἐςί κτέ.* Est *Κισθήνη*, cf. Cratin. ap. Harpocr. in v. *κἀνθένδ' ἐπὶ τέρματα γῆς ἥξεις, καὶ Κισθήνης ὄρος ὄψει*, ubi metrum rem conficit: idem vitium infra repetit *Scholiasta*. Porro in longissimo *Scholio* tertia Graea dicenda est *Πεφρηδώ*, non *Πεφυδώ*, cf. Hes. *Theog.* 273. Infra legitur *αἱ Γοργόνες ἦσαν Ἀσθενώ, ἡ Εὐρυαλεία καὶ ἡ Μέδουσα*, credo describentis errore pro *ἡ Σθενώ*, cf. Apd. *Bibl.* II. iv. 3. Ceteroquin neque hoc verum est nomen, nec *Σθεινώ* ut habet Hes. *Theog.* 276, sed *Στεινώ*, quod scilicet a *ςεινός* derivatum opponendum est nomini *Εὐρυάλη* ut ab *εὐρύς* deducto.

Dicens de vulturibus et Arimaspis *Scholiasta* addit: *περὶ ὧν Ἡσίοδος πρῶτος ἐτερατεύσατο.* Voluit Herodoti locum notissimum IV. 27.

957. *ΤΡΙΤΟΝ*: — *ἐβασίλευσε πρῶτον μὲν ὁ Ὀφίων* (eiic. *ὁ* ut caeteris conveniat) *καὶ Εὐρυνόμης, ἔπειτα Κρόνος καὶ Ῥέα, μετὰ ταῦτα δὲ Ζεὺς καὶ Ἥρα*: — Est *Εὐρυνόμη*, vitii autem culpa penes ipsum *Scholiasten* est, qui etiam ad vss. 954 nominat *τὸν Εὐρυνόμην*. Cf. Ap. Rhod. I. 503, Lycophr. 1192.

1021. *ΠΤΗΝΟΣ ΚΥΩΝ*: — ..... *ταῦτα δὲ ἦν πάσχων ὁ Προμηθεὺς διὰ δύο αἰτίας .... ἑτέραν δὲ ὅτι βοῦν μέγαν θύσαντες οἱ θεοὶ περὶ τὴν Σικυόνα τὴν πολιν κτέ*: —

Etiam in ceteris sequitur Hes. *Theog.* 521—617, neque iniuriam fieri homini opinor, si statuamus eum vel

calamo, vel memoria lapsum, aut ex docta quae ipsi videretur coniectura, suum illud *Σικυόνα* hausisset ex *Μηκώνη* quod legitur vs. 536; potuit enim, qua est doctrina, sic pro *Σικυῶνα* scribere. Qui Inscriptiones et Codd. MSS. cogitare velint, haec non tantum a se invicem differre sentient, quantum prima specie videtur, ob commutationes litterarum σ, ι et ο, vel υο, cum litteris μ, η et ω.

Β' ad 14. *ΕΓΜΙ'*: — *ὑπάρχω*: —

61. *ΣΟΦΙΣΤΗΣ Ω"Ν*: — *ἀπατεὼν ὑπάρχων*: —

361. *ΦΡΕΝΑΣ ΕΓΣ ΑΥΤΑΣ ΤΥΠΕΓΣ*: — *εἰς αὐτὸν τὸν νοῦν πληγεὶς, παράφορος γενόμενος τῷ ἀπροσδοκήτῳ τῆς πληγῆς*: —

659. *ΔΩΔΩΝΗΝ*: — *πόλις ἔνθα Διὸς ἱερὸν ἦν, ἔχων δρῦν λαλοῦσαν καὶ μαντευομένην*: —

680. *ΤΟΥΣ ΈΜΟΥΣ ΚΑΤΑ ΣΤΙΒΟΥΣ.* (Videtur *καταςίβους* legisse): — *τὰς ἐμὰς ὁδοιπορείας*: —

725. *ΣΑΛΜΥΔΗΣΣΓΑ* (Perperam pro *Σαλμυδησία* per unicum σ; sequitur apud Aeschylum *γνάθος*): — *ἡ Σαλμυδησία ἐςὶ ῥαχία ἀκρωτηριώδης ἐοικυῖα ὄνου γνάθου* (l. *γνάθῳ*. Cobetus) · *καλεῖται δὲ ἀπό τινος Σαλμυδησοῦ ποταμοῦ ἐντεῦθεν ἐκρέοντος εἰς τὴν θάλασσαν*: —

ΓΝΑΘΟΣ: — *ἐοικυῖα*: —

773. *ΤΡΙΤΟΣ ΔΕ ΓΕΝΝΑΝ ΠΡΟΣ ΔΕΚ'*: — *τρισκαιδέκατος ἀπ' Ἰοῦς Ἔπαφος, οὗ Λιβύη, ἧς Βῆλος, οὗ Δαναός, οὗ Ὑπερμνήςρα, ἡ μὴ κτείνασα τὸν Αἰγγέα τὸν ὁμόζυγον, ἧς Ἄβας, οὗ Προῖτος, οὗ Ἀκρίσιος, οὗ Δανάη, ἧς Περσεύς, οὗ Ἠλεκτριὼν* (l. *Ἠλεκτρυών*) *οὗ Ἀλκμένη* (l. *Ἀλκμήνη*) *ἧς*

Ἡρακλῆς: — *Λιγγέα* dicit, qui est *Λυγκεύς*, ipsi autem *Scholiastae* vitium incumbit, nempe ad vs. 865. suum *Λιγγέα* repetiit.

Deinde *Io* cum ceteris more Graeco ad tredecim genera efficienda annumeranda est, et *Proetus* eximendus, nempe ille fuit Acrisii *frater*, non *pater*. Quod utrumque miror fugasse accuratissimum BLOMFIELDUM in *Glossario* ad h. l., nec monitum ab ELMSLEIO. Aliis nominibus errat *Schol. Faehs.*, sed recte annumerat Ionem: simili modo recte Epaphum annumerat *Schol. A'* ad 852.

955. *ΝΑΪΕΙΝ 'ΑΠΕΝΘΗ˜ ΠΕΪΡΓΑΜΑ*: — *ἐπειδὴ ΝΑΪΕΙΝ εἶπε, ὁ δὲ ναίων ἐντὸς τοίχους ναίει, † διὰ τοῦτο πέργαμα εἶπε· λέγει δὲ τὸν οὐρανόν*: —

Γ' ad 11. *ΦΙΛΑΝΘΡΩΪΠΟΥ* (seq. ap. AESCH. *δὲ παύεσθαι τρόπου*): — *τοῦ φιλεῖν τοὺς ἀνθρώπους. Δριμεῖα λέξις*: —

25. *ΠΑΪΧΝΗΝ* (seq. ap. AESCH. *θ' ἑῳαν*): — *ἐν νυκτὶ γενομένην· εὔδηλον γὰρ ὅτι ἡ πάχνη κατὰ τὴν νύκτα γίνεται*: —

Iam ut ineptias ostendam, nonnisi singulos locos annotabo, sed ex ungue leonem prodentes:

A' ad 362. *ΚΑΪΞΕΒΡΟΝΤΗΪΘΗ*: — *ἤτοι ἐξησθένησε καὶ ἀφῆκε τὴν δύναμιν· ὃν τόπον* (l. *τρόπον*) *καὶ οἱ ἐμβροντητοί, οἱ γὰρ βροντῆς ξηρᾶς ἀκούοντες ἐκπλήττονται*: —

B' ad 6: *'ΑΔΑΜΑΝΤΪΝΟΙΣ*: — *σιδηρέοις, ϛερραῖς. 'Αδάμας* (*chalybs*, *Schol.* pro *adamante* accepit) *λίθος οὕτω ϛερρὸς ὡς μὴ δύνασθαι ὑπὸ σιδηροῦ τμηθῆναι· αἵματι δὲ τράγου ἢ λέοντος μαλάσσεται· διὰ τὸ τὸν μὲν ἀδάμαντα ψυχρὸν καὶ ξηρὸν ἄγαν εἶναι, τὸ δ' αἷμα θερμὸν καὶ ὑγρὸν ἄγαν εἶναι*: —

Γ' ad 6: *ΠΕΪΤΡΑΙΣ*: — *τοῦτο δηλοῖ τὸ ἐκ δευτέρου ΠΕΪΤΡΑΙΣ* (sequitur pravam lectionem:

ἀδαμαντίναις πέδῃσιν ἐν ἀρρήκτοις πέτραις)

οὐ μόνον ταῖς πέτραις οὔσαις ὑψηλοκρήμνοις, ἀλλὰ καὶ πέτραις ἐμπέδοις καὶ ϛερεαῖς· εἰσὶ γὰρ ἐν ὄρει πέτραι: —

Iniustus essem aut negans, aut tacens, nonnulla utilia hisce *Scholiis* inesse, grammaticas nempe aliquot annotationes sat bonas. Eas vero non annotabo propter varias causas.

Primam, quoniam tantummodo numerus harum annotationum pretium *Scholiorum* potest ostendere, atque igitur nihil refert eorum excerpta typis mandare, cum ipsum genus omnibus notum sit, qui haec studia attigere.

Altera accedit causa, nempe ad meum propositum non facit, nec volui ostendere nisi hoc, ibi novae Editioni fundamentum non reperiri.

Denique annotationes quas dixi, perpaucis exceptis, omnes universum Graecum sermonem, non vero proprie AESCHYLUM spectant.

Contra opinor huic mori VV. DD. obviam eundum, quo scilicet proni sunt ad omnia eximie laudanda, quae tantum non severe damnanda sunt. Qui mos magnas in AESCHYLI *Scholiis* turbas daret, si quis interpretibus fidem habere pergat, ubi ad coelum ex-

tollant *Scholiastas* nostros. En primum editorem ROBORTELLUM (p. 3 *Epistolae* praemissae ad MARIANUM SAVELLUM, scriptae Id. Nov. 1551):

» Habebis igitur mi Mariane a me .... Aeschyli » Tragoediarum explicationes insignes, ac eruditionis » plenas, quae praeterquam quod ipsos" (studiosos) » adiuvabunt in Poeta hoc intelligendo, magno etiam » erunt usui ad aliorum authorum tum Graecorum, » tum Latinorum obscura loca cognoscenda."

Ita VICTORIUS (ap. BUTL. *Praef.* p. x) ea » et » Sophocleis et multo magis Euripideis auctoritate » et vetustate antecellere" affirmat.

Itaque iam satis ostendi, plures exstare horum *Scholiorum* recensiones aliam alia peiorem, omnes ex eodem fonte ortas, nec nisi unicum sibique ipsi interdum adversans testimonium praebere; crisin per bonas lectiones omnino non adiuvare, saepissime nugas tradere, nec posse ingenio auctorum supplere, quod monumentis deesset.

Haec *Scholia*, docta scilicet et antiqua, ad Editionem comparandam excerpsi, et iam nunc firmiter persuasum habeo, non posse ex illis AESCHYLUM aliquid memoratu dignum lucrari. Quibus subsidiis deficientibus, alia indaganda erant.

---

2. COLLATIO COBETIANA CODICIS MEDICEI.

Florentiis in Bibliotheca Laurentiano-Medicea exstat Codex MS. saeculi fere X, continens AESCHYLUM, SOPHOCLEM, APOLLONIUM RHODIUM cum *Scholiis*. Numerus Codicis est 9 plutei XXXII, forma ad maximam accedente; hic nobis liber utrumque *Tragicum* servavit.

Tempus et opportunitas hic desunt, ut quantum potero demonstrem, omnes qui hucusque usurpati sunt Codd. MSS. ex unico hoc esse derivatos. Sufficiat notare, omnem veri speciem eam sententiam defendere; spero fore, ut post aliquod tempus rem accurate investigem.

Addam tamen, dubitationem aliquam subortam fuisse huic et illi VV. DD., attamen etiam hi de summa rerum consentiunt. Praesertim duos volo in AESCHYLO fere principes, quoniam PORSONUS hunc poetam vix attigerit; ELMSLEIUM dico et MARKSCHEFFELIUM, utrumque immatura morte praereptum.

ELMSLEIUS sententiam significavit in censura *Promethei Blomfieldiani* (cf. BLOMF. p. 166 – 169, *Edinburgh Review* 1810. N° XXXIII. p. 216—221). Ibi dixit p. 168, *E. R.* 219: » All the manuscripts of

» Aeschylus which have yet been examined, are trans-
» scribed, mediately or immediately, from the same
» copy, which appears to have survived alone to the
» general wreck of ancient literature. The concur-
» rence, therefore, of fifty or five hundred manu-
» scripts of Aeschylus in the same lection, implies no
» more, than that, in the ninth or tenth century,
» such a reading was discovered in a single manuscript.
» IF THAT MANUSCRIPT NOW EXISTED, and could be
» verified, perhaps its numerous progeny might be
» safely disposed of to the makers of sky-rockets"
(qualem *igneam sagittam* vocare solemus; vel *rackets*,
ludendo inservientes, nempe ad iaciendos pinnatos
globulos; cf. notam ELMSLEII), » after the example
» of the biblical manuscripts of the university of Al-
» cala." Quae opinio etsi falsa mihi videatur, eo
tamen graviorem habeo quod ipse ELMSLEIUS Codicem
Mediceum vidit et cum editione SOPHOCLIS saltem
contulit. Attamen ipse fatetur p. 167, *E. R.* 248:
Editores » commonly exaggerate both the number and
» THE FAITH of their manuscript authorities. A single
» incorrect and recent copy, is sometimes styled *mirae*
» *fidei et vetustatis exemplaria*; and a printed edi-
» tion is frequently quoted under the name of *alii*
» *libri*, *nonnulli codices* etc."

MARKSCHEFFELIUS in egregia scriptione: » *De Emen-*
» *datione fabulae Aeschyliae quae Supplices in-*
» *scribitur*," (*Mus. Rhen.* Phil. ed. WELCKER et
RITSCHL. Nova ser. V. 1847. p. 161 216) p. 181,
proposuit sequens stemma Codicum et Editionum:



Cf. autem de Editione ROBORTELLI quae infra disputavi ad HESYCHIUM, I. III. Nempe cum *Rob.* easdem quas *Med.* lacunas habeat, lacunae autem auctoribus VICTORIO, PRIENIO (*Mus. Rhen.* Phil. VI. 1848, p. 562, in censura FRANZII *Orestiae*), et COBETO in ipso *Med.* ortae sint, necesse est, ROBORTELLUM etiam non alias fontes habuisse quam aut ipsum *Med.*, aut eius apographum recentem, post ortas lacunas conscriptum.

MARKSCHEFFELIUM vero fefellere subsidia, quae pessima habuit (p. 163), collationem SALVINII et alteram receptam in Ed. WEIGEL. quam non vidi, sed MARKS. ipse eam *Salviniana* tantum accuratiorem dixit p. 163.

Itaque iam ELMSLEIUM conabor ostendere minimum inconsideratius locutum esse dicentem, AESCHYLI Codicem Archetypum fuisse scriptum saeculo nono vel decimo, et esse eum *Mediceo* antiquiorem. Nempe ipse *Med.* est saeculi decimi, nec aliunde derivatus, nisi e MS. quodam charactere unciali exarato, i. e. longe vetustiore quam Codd. saeculi noni. Accedit, quod iam saeculo sexto ad ultimum, probabiliter iam saeculo tertio p. Chr., AESCHYLI textus fere iisdem quibus hodie vitiis laborabat.

Quae dixi, statim si potero demonstrabo. Et quidem de textu iam saeculo sexto tertioque depravato

agam, ubi ad HESYCHIUM pervenero. Ut autem ostendam, fontem Codicis *Medicei* esse Codicem unciali charactere scriptum, enotabo lectiones huius MS. quibus nititur haec mea sententia. In notandis lectionibus sic versabor. Adscribam lectiones omnes, quae mihi videbuntur ad propositum facere; addam, de quibus vel aliqua suspicio eiusdem rei oborietur, quia vel inutilia addere malo quam omittere necessaria. Nullas tamen e COBETI collatione lectiones dabo, nisi quas ipse diserte significavit, neque eius silentio utar. Litteris etiam uncialibus varietatis originem annotassem, sed vetuit typorum penuria.

Subiiciam lectiones DINDORFII, cuius numeris utor, ROBORTELLI, ut etiam aliquatenus hunc e *Mediceo* hausisse appareat; *Medicei* ex collatione SALVINII, qua usi sunt BUTLERUS, SCHUTZIUS, BLOMFIELDUS, WELLAUERUS, ubicumque exinde lectiones annotant. Etiam SCHUTZIUM non alia collatione usum esse, iis apparebit, qui eius verba I. p. VI conferant cum BUTL. VIII. *Praef.* p. III sq. BLOMF. *Prom.* p. IX. Quod vero et has lectiones adducam, fit comparandarum quantum potuerit collationum gratia.

Mediceum ex COBETI collatione notabo *La.* (*Laurentianum* A.), quod ad SOPHOCLEM fecit ELMSLEIUS; simul distinguendi gratia a collationibus ceteris, quas *Meds.*, *Medb.*, *Medbl.*, *Medw.* notabo; nam etsi omnes una SALVINII collatione usi sunt, non tamen ubique omnes adducunt, et est forte alter altero accuratior.

	Lectiones Medicei ex collatione Salvinii.	*Lectiones Medicei ex collatione Cobeti.*	*Lectiones Robortelli.*	*Lectiones Dindorfii.*
12.		σφῶϊν	σφῶϊν	σφῷν
42.		ἀιεί τε δή	αἰεί τει δή	ἀεί γε δή
88.		διὸσ	διὸς	δῖος
146.		πέτραι 1 m, πέιραισ 2m.	πέτραις	πέτραις. Lege πέτρᾳ, ut **BRUNCKIUS.
182.		τῆσ αἰκίασ	τῆς δ' αἰτίασ	τῆσδ' αἰκίας
213.		ὑπερέχονταο	ὑπερέχοντας	ὑπερέχοντας. Sed recte ὑπερσχόντας scripsit **PORSONUS.
235.	τόλμησ' *Med-bl.* ἐγὼ δὲ τόλμησ' *Medw.*	δὲ τόλμησ'	δὲ τόλμης	δ' ἐτόλμησ'
333.	πείθεις *Med-bl. Medw.*	πείθειο	πείσεις	πείσεις
395.		δ' ἔτ' ἄν	δέτ' ἄν	δὲ τἂν
400.		ῥόος	ῥέος	ῥέος
405.	ἐνδεικνύειν *Medbl. Medb.* ϑ. τ. π. ἐνδεικνύειν *Medw.*	ἐνδεικνύειν	δείκνυσιν	δείκνυσιν. Sed ἐνδείκνυσιν recte **MORELLIUS.
		αἰχμήν	αἰχμάν	αἰχμάν. Lege ἀρχάν, cf. Il. vss. 403 sqq.
452.		ἔναγον	ἔναιον	ἔναιον
465.		ἅρμα τ' ἤγαγον	ἅρματ'	ἅρματ' ἤγαγον
568.		αλευ ἃ δα γρ ἀλευάδα	ἄλευ' ὦ δᾶ	ἄλευ δᾶ
606.		τί μὴ χρὴ	τὶ μέ χρὴ	τί μῆχαρ ἢ

	Lectiones Medicei ex collatione Salvinii.	*Lectiones Medicei ex collatione Cobeti.*	*Lectiones Robortelli.*	*Lectiones Dindorfii.*
683.		ἔτι	ἔτι	ὅ τι
741.		μηδ' ἐπῶν	μήδ' ἐπῶν	μηδέπω 'ν. Lege μηδέπῶν.
776.	σαυτῆς τ' *Medb. Medw.*	σ' αὐτῆσ τ'	σαυτῆς	σαυτῆς
922.		εὑρήσοι	εὑρήσει	εὑρήσει

Attamen fateor, esse in his plurima, quae favent opinioni alium etiam Codicem interfuisse inter *Mediceum* eumque, qui uncialibus characteribus scriptus sit. Quod nunc mitto. Unum ex MSS. ante *Mediceum*, aut ipsum hunc librum, ad verba dictantis esse exceptum, fidenter contendi potest.

ROBORTELLO autem ne quis nimium tribuat, velim cogitet, me consulto recepisse lectiones *Medicei* vel manifesto depravatos, dummodo ad propositum pertinerent. Inde factum est, ut hae lectiones ostendere videantur, vel ipsi *La.* praestare ROBORTELLUM.

Iam vero et notum erat et planius etiam ex tabella apparet, quam negligenter SALVINIUS contulisset Codicem, et simul, quam parum eo usi essent Editores. Immo ne Collationem quidem ab eo confectam suspicor, sed Codicem inspectum modo, ut in quibusdam (sat tamen multis) vss. de eius recensione constaret. Exstabant praeterea collationes PRIENII, FRANZII, qui miram illam *Didascaliam* ad *Septem* primus in Codice legit (*Mus. Rhen.* 1848. II. p. 561, ubi de eius editione *Orresteae* a PRIENIO diiudicatur), et ea (WEIGELII), qua usus est MARKSCHEFFELIUS. Earum vero nullam usurpare mihi licuit.

Mihi autem COBETUS collationem ab ipso ad SCHUTZII Editionem confectam usurpandam et transscribendam concessit, unde magnam spem emendandi AESCHYLI concepi, quae nunc ut ostendam fefellit. Propter FRANCKENUM pag. VIII addo, COBETUM temporis angustia pressum *Scholia* omisisse.

Ut igitur ostendam etiam hoc Codice novam Editionem haudquaquam posse niti, eadem prorsus ratione qua supra omnes lectiones diserte a COBETO memoratas annotabo, quae vel meliores videntur *Dindorfianis*, vel pares.

	Lectiones Medicei ex collatione Salvinii.	*Lectiones Dindorfii.*	*Lectiones Medicei ex collatione Cobeti.*	*Lectiones Robortelli.*
20.	τόπῳ *Medbl. Medb. Medw.*	ἀπανθρώπῳ πάγῳ	ἀπανθρ. τόπωι	ἀπανθρώπω τόπωι
28.	ἐπηΐρω *Medbl. Medw.*	ἀπηΐρω	ἐπηΐρω	ἀπηΐρω
40.		ξύμφημ'	σύμφημ'	συμφη μ'
52.		δεσμὰ τῷδε περιβαλεῖν	τῷδε δεσμὰ περιβαλεῖν	δεσμὰ τῷ δε περιβαλεῖν
87.		τύχης	τέχνησ	τυχης
90.		παμμῆτόρ τε γῆ	παμμήτωρ τε γῆ	παμμῆτορ τε γῆ
108.	ἐνέζευγμαι *Medbl. Medb. Medw.*	ὑπέζευγμαι τάλας	ἐνέζευγμαι τάλασ	ὑπέζευγμαι τάλασ
146.		πέτραις προσαυαινόμενον	πέτραι (i. e. πέτρᾳ) προσαυ-	πέτραις προσαυαινόμενον

Lectiones Medicei ex collatione Salvinii.	*Lectiones Dindorfii.*	*Lectiones Medicei ex collatione Cobeti.*	*Lectiones Robortelli.*
185. οὐ παράμυθον *Medbl. Medw.*	ἀπαράμυθον	οὐ παράμυθον	ἀπαραμυθον
236. τὸ *Medbl.* τὸ μὴ *Medw.*	τοῦ μὴ διαρραισθέντας	τὸ μὴ διαρρ.	τὸ μὴ διαῤῥαισθέντας
340. κοὐδὲ μὴ *Medb. Medw.*	ἐπαινῶ κοὐδαμῆ λήξω ποτέ	ἐπαινῶ κοὐδὲ μὴ λήξω ποτέ	ἐπαινῶ κοὐδαμῆ λήξω ποτὲ
449. βίον *Medbl. Medw.*	μακρὸν χρόνον	μακρὸν βίον	μρκρὸν χρόνον
461.	ἐργάτιν	1 m. ἐργάνην, corr. ἐργάτιν.	ἐργάτιν
481.	πρὶν ἐγὼ σφίσιν	πρίν γ' ἐγὼ σφίσιν	πρὶν γ' ἐγὼ σφίσιν
762.	αὐτὸς πρὸς αὐτοῦ	πρὸς αὐτόσ αὐτοῦ	αὐτὸς πρὸσ αὐτοῦ
875.	δὲ χὤπη, ταῦτα δεῖ μακροῦ χρόνου	δὲ χ' ὤπη, τ. δ. μ. λόγου	χ' ὤπη ταῦτα δεῖ μακροῦ χρόνου
908.	αὐθαδη φρονῶν	αὐθάδης φρεῖ φρονῶν. Supra scripsit manus recentior.	αὐθάδη φρονῶν
945. ἡμέρους *Medbl.* τὸν ἡμέρους *Medw.*	ἐφημέροις	τὸν ἡμέροισ	τὸν ἐφημέροις

Satis opinor apparet, vel hoc MS. etsi praestantissimum non posse fundamentum novae Editioni praebere. Quaerenda igitur erant, an vestigia Codicum antiquiorum indagare possem. Quomodo autem hoc fecerim, iam sequente capite explicandum est.

3. Hesychii Lexicon.

Et aliae causae me impulerunt, ut ea subsidia prae caeteris in Hesychii *Lexico* quaererem, et quod *La.* disertissime prodit, fontem suum esse Codicem unciali charactere scriptum. Quomodo factum sit, ut haec me ad tractandum Hesychium impulerint, exponam.

Opinor, Hesychium (*Alexandrinum*) vixisse saeculo tertio post Chr. n.; haec est sententia plurimorum VV. DD., et contraria opinio exinde mihi orta videtur, quod illi non cogitarint, quam multa insititia in *Lexico* occurrant, ut de *Glossis Biblicis* accurate ostendit Bentleius (Hesych. Ed. *Alb.*, Epist. ined. de *Glossis sacris* in Hes. insititiis, T. I. p. *d* 2 sq. — in ima p. exstat haec notatio).

Auctor huius sententiae est Fabricius in *Bibliotheca Graeca* T. IV. (Ed. *Hamb.* 1723. 4°.) (2) L. XXXV p. 543 sq.; quem etiam addidit in praefatione diligentissimus Albertus, I. p. *f.* Suspicio oborta est Fabricio, mansitque ipsi pro certa, »an forte

(2) Et Thorschmidt *de Hesychio Illustri, Milesio, Christiano* ap. Alb. I. p. *h* 2. Sed hic videtur Fabricium secutus.

»Hesychius Alexandrinus cuius editio Graeca veteris »instrumenti Hieronymo aliisque celebraretur, qui»que tertio post Christum natum seculo floruit, pro »primo ac praecipuo auctore huius Lexici habendus »esset." Nec qui recentissimum censent HESYCHIUM, magnam ipsi antiquitatem negant, ut »Tentzelium ».... eundem Hesychium saeculo sexto putare recen»tiorem" p. 546 memorat FABRICIUS.

Utut est, ipse HESYCHIUS sequentia dicit in *Epistola* ad EULOGIUM, operi praemissa (ALB. I. p. 12): *πολλοὶ μὲν καὶ ἄλλοι τῶν παλαιῶν τὰς κατὰ ςοιχεῖον συντεθείκασι λέξεις* (*Lexica*, monente RUHNK. in Praef. ad ALB. II, p. XI) .... *ἀλλ' οἱ μὲν τὰς Ὁμηρικὰς μόνας, ὡς Ἀπίων καὶ Ἀπολλώνιος ὁ τοῦ Ἀρχιβίου, οἱ δὲ τὰς Κωμικὰς ἰδίᾳ καὶ τὰς Τραγικὰς ὡς Θέων καὶ Δίδυμος καὶ ἕτεροι τοιοῦτοι, ὁμοῦ δὲ πάσας τούτων οὐδὲ εἷς. Διογενιανὸς δέ τις μετὰ τούτους γεγονὼς ἀνὴρ σπουδαῖος καὶ φιλόκαλος τά τε προειρημένα βιβλία καὶ πάσας τὰς σποράδην παρὰ πᾶσι κειμένας λέξεις συναγαγὼν, ὁμοῦ πάσας καθ' ἕκαςον ςοιχεῖον συντέθεικε, λέγω δὴ τάς τε Ὁμηρικὰς, καὶ Κωμικὰς, καὶ Τραγικάς .... συλληβδὴν δὲ ὁμοῦ οὐδεμίαν λέξιν* (de vocabulo h. l. posito agit RUHNK.) *ὥςε ἡμᾶς εἰδέναι, παρέλιπε, οὔτε τῶν παλαιῶν οὔτε τῶν ἐπ' ἐκείνῳ γεγενημένων.*

Infra subiungit: *οὐ γὰρ ὀκνήσω μετὰ παρρησίας εἰπεῖν ὅτι τῶν Ἀριςάρχου, καὶ Ἀπίωνος, καὶ Ἡλιοδώρου λέξεων εὐπορήσας καὶ τὰ βιβλία προσθεὶς Διογενιανοῦ, ὃ πρῶτον καὶ μέγιςον ὑπάρχει πλεονέκτημα, ταῦτα δ' αὐτὸς ἰδίᾳ χειρὶ γράφων ἐγὼ μετὰ πάσης ορθότητος καὶ ἀκριβεςάτης γραφῆς, κατὰ τὸν γραμματικὸν Ἡρωδιανὸν, λέξιν μὲν οὐδεμίαν παρέλιπον κειμένην ἐν αὐτοῖς ἀλλὰ καὶ πλείςας οὐχ εὑρὼν προστέθεικα.*

Habuit itaque HESYCHIUS lexicon DIOGENIANI, quem eundem Paroemiorum etiam hodie superstitis collectionis auctorem in eadem Epistola appellat. DIOGENIANUS vero, qui circa HADRIANI tempora (117—138 p. Chr.) vixit, vel paulo serius, *λέξεις* adhibuit *Τραγικάς* etiam THEONIS et DIDYMI. Iam THEON aliunde ignotus; quis vero nescit, DIDYMUM illum *Χαλκέντερον* natum fuisse ANTONIO et CICERONE Coss., A. U. C. 691, a Chr. n. 63, ut SUIDAS in v. refert.

Potuit igitur DIDYMUS saltem habere exemplaria AESCHYLI antiquissima. Lectiones, quas inde decerpsit, corruptelis quidem etiam posthac obnoxiae fuere, sed multa sunt, quae hanc difficultatem elevant.

Nempe hae lectiones, in MSS. DIDYMI servatae, aliam sortem habuere et corruptelas passae sunt diversas ab iis, quas ipse AESCHYLI textus; ita ut sibi invicem opitulari possint.

Deinde lectiones a DIDYMO excerptae, cum sibi adiunctam interpretationem habeant, et alphabetica serie procedant, longe faciliores emendatu esse debent, quam ipse textus poetae.

Accedit, quod DIDYMUS ut explicaturus censendus est difficiliora selegisse, ita ut ex eo medela sperenda sit ipsis iis locis, qui et intellectu difficillimi sunt, et corruptelae prae caeteris obnoxii. Quae vero de DIDYMO dixi, ea per eius Epitomatores imminuta, non sublata credebam.

Epitomatores dico hos: e DIDYMO (et THEONE) sua hausit DIOGENIANUS, e DIOGENIANO HESYCHIUS, ex HESYCHIO ille, qui *Lexicon* ad hodiernam exilitatem contraxit.

Omnia vero, de quibus disputavi, nihili essent, si probaretur VALCKENAERII sententia (Schediasma de Epistola ad Eulogium, in URSINI libro »VIRGILIUS »collatione *Scriptorum Graecorum illustratus*, »Leov. Coulon. 1747. 8°. pp. 150—163"). Ille enim et *Lexici* prout hodie exstat HESYCHIUM scriptorem credit, et *Epistolam ad* EULOGIUM tum longe recentiorem, tum impudentissimis mendaciis refertam censet. Sed eam sententiam refutavit, et accuratissimum fuisse scriptorem ad EULOGIUM, eundem ac HESYCHIUS noster, evicit RUHNKENIUS in *Praef.* ad ALB. II. pp. IV—XIII, nec opinor ulli dubio post eius argumentationem locum manere. Qua de re summopere doleo, me inspicere non potuisse RANKII librum *de Lexici Hesychiani vera origine et genuina forma*, Quedl. et Lips. Becker, quod sero demum innotuit.

Iam cum BENTLEIUS spurias esse Glossas Sacras in hoc *Lexico* ostenderit, concidit argumentum, quo nisus I. CASAUBONUS ad ATHEN. I. 9. HESYCHIUM pro Christiano habuit.

Itaque nullo argumento contrariam sententiam defendente, stare possumus RUHNKENII verbis (II. p. XII): »Nec forte multum a vero aberraverit, qui hinc col»ligat, HESYCHIUM non fuisse Christianum. Nam Chri»stiani Grammatici non id egerunt, ut rariora vocabu»la veterum scriptorum testimoniis munirent, sed ut »illa, tanquam inutilia addimenta, tollerent ac dele»rent; id quod non uno loco ad *Aristophanis Plu»tum* observavit *Hemsterhusius*."

Sin vero HESYCHIUS non fuit Christianus, non est cur nobis ut RUHNKENIO II. sit »incertae aetatis Gram»maticus, certe qui vixerit ante decimum seculum" sed quoniam, auctore FABRICIO (B. G. IV. IV. 14 p. 546) vel **TENTZELIUS HESYCHIUM saeculo sexto iuniorem iudicans nullum post saeculum sextum HESYCHIUM indagare potuit, nec HESYCHIUS *Milesius*, Christianus (cf. THORSCHMIDT de HES. *Mil.* Christiano apud ALB. I. pp. *h-l*) in censum venire potest (quod tamen credit STEPH. in v.) redeundum erit ad HESYCHIUM *Alexandrinum*, quem **HIERONYMUS aliique memorant (auctore FABRICIO II.). HIERONYMUS autem (cf. FABR. B. G. VIII. v. 24 p. 574) ab anno inde 331 p. C. ad annum 420 vixit.

Sufficere opinor hucusque disputata ad ostendendum quanta et quam legitima spe HESYCHII *Lexicon* usurpare aggressus sim: nunc planum faciam, quem in modum haec spes me fefellerit. Quod ut appareat, primum omnes Glossas adscribam, in quibus HESYCHIUS diserte memorat *Prometheum*, ad fidem indicis apud FABR. B. G. IV. IV. 35. p. 555; tum de iis exponam, quae ipse feci.

Hae autem Glossae sunt sequentes:

ἀΘΕΤΩΣ: — *ἀθέσμως ἢ συγκατατεθειμένως. Αἰσχύλος Προμηθεῖ δεσμώτῃ*: — Cf. vs. 150; *ἀθέσμως La. Rob.*

Ἄρδις: — *ἀκίς. Αἰσχύλος Προμηθεῖ δεσμώτῃ*: — Cf. vs. 880.

Ἀμφίδιον μέλος: — *ἄλλοιον, διὰ παντὸς κεχωρισμένον, ἀμφὶς γὰρ χωρίς. Αἰσχύλος Προμηθεῖ δεσμώτῃ*: — Cf. vs. 555.

Εἰσαφάσματα: — *εἰσπτήματα· ἀπὸ τοῦ Εἰσαφιέναι. Ἢ σπαράγματα. Αἰσχύλος Προμηθεῖ λυομένῳ*: — Cf. fr. 185. DF., 70. AHR., 185 SCHUTZ. quem adducere solet WELL.

Ἐλελεῦ: — *ἐπιφώνημα πολεμικόν· οἱ δὲ· προαναφώνησις παιανισμοῦ. Τίθησι δὲ αὐτὸ Αἰσχύλος ἐπὶ σχετλιασμοῦ, ἐν Προμηθεῖ δεσμώτῃ*: — Cf. vs. 878; *ἰώ. ἰώ. ἐλελελελεῦ Rob.*

Ἐπιστολαί: — *ἐντολαί, ἐπιταγαί. Αἰσχύλος Προμηθεῖ. Διαγράμματα καὶ ἐπιστάλσεις*: — Cf. vs. 3.

Mihi autem, HESYCHIUM tractaturo, sequenti VV. DD. sententia standum videbatur. Sicubi apud HESYCHIUM (neque de hoc uno invalet sententia) inveniatur vocabulum aliquod rarius, per declinationem aut coniugationem eodem modo flexum, atque apud scriptorem aliquem antiquum, addita significatione aut loco apta, aut qualis ei facile per errorem obtrudi poterat, censendus est HESYCHIUS aut ille quem descripsit ipsum illum locum ob oculos habuisse. Quod etsi, ut facile intelligitur, non semper verum est, plerumque tamen tuto statuitur. Non semper eodem casu cett. istiusmodi vocabula usurpata esse, apparet e glossis quas modo adduxi: ubi vel auctoris nomine apposito casus tamen in nominativum mutatus est.

Nec tamen spernenda sunt, quae praeterea vocabulis AESCHYLI interpretationes ex HESYCHIO afferre possunt.

Quae utraque indagare volui. Prius igitur ut assequi possem, incepi omnia *Prometheï* vocabula paulo infrequentiora, quales in singulis fere versibus bina inveniantur, apud HESYCHIUM quaerere et annotare. Quo opere usque ad vs. 127 producto, iam intellexi, nihil me illo lucrari, et omisi. Postea tale quid a BLOMFIELDO iam factum vidi, qui tamen praeteriit glossas sequentes, ad vss.:

2. *ἄβατον.*	40. *σύμφημι.*	102. *ποταίνιον.*
6. *ἀρρήκτοις.*	42. *πλέως.*	103. *πῆμα.*
23. *ἀσμένῳ.*	43. *ἄκος.*	122. *αὐλήν.*
36. *εἶεν.*	54. *ψάλια.*	125. *πέλας.*
38. *γέρας.*	69. *θέαμα.*	*αἰθήρ.*

Attamen in BLOMFIELDO, tanto viro, eodemque accuratissimo, huius rei causam negligentiam fuisse vix credere possum. Consulto eum, ut leviora, haec omisisse arbitror.

Haud alienum igitur ab hoc loco duxi annotationem omnium glossarum, quae haud dubie *Prometheï* primos 127 vss. spectant: inde apparebit, quam pauca exinde duci possint:

1. *Τηλουρόν*: — *πόρρω ἀφωρισμένην· τίνες μὲν ὡς πανοῦργον, τινὲς δὲ ὡς κηπουρὸν τῷ τόνῳ*: — **TOUPIUS (apud BLOMF. *Prom.* Gloss. p. 75) *ἀφωρίσμενον.* Sed iniuria et ille et BL. glossam huc trahunt: sana est, et pertinet ad verba *τηλουρὸν δὲ γῆν* vs. 807.
2. *ἄβατον*: *ἀδιόδευτον, ἀπέραντον*: —

ἄβροτον: — ἀπάνθρωπον: — Priorem et Bl. Gl. et alii VV. DD. ad h. l. semper omittunt, alteram cupide apponunt, ut scilicet inde appareret, Hesychium posse aliquam Aeschylo criticam opem ferre. Ea autem opinio, si quid video, huic unico ἄβροτον nititur.

3. ἐπιζολάς: — Cf. spr. p. 38.

4. ἐφεῖτο: — ἐνετείλατο, ἐνετέλλετο: — A me olim omissam habet Bl.

5. λεωργόν: — κακοῦργον, πανοῦργον, ἀνδροφόνον: —

6. ἀρρήκτοις: — ἀσχίζοις: —

7. ἄνθος: — βλάξησις: — Huc non pertinere arbitror.

8. ὤπασεν: — ἔδωκεν, ἐχαρίσατο: —

17. εὐωριάζειν: ὀλιγωρεῖν, μὴ ἔχειν φροντίδα παρακούειν: — Et aliquot Glossis post: (Sophocles) ἐν Σκυρίαις χρῆται τῷ εὐωριάζειν: — A me olim omissam habet Bl.

22. ζαθευτός: — πεφλογισμένος ἠρέμα: —

23. ἀσμένῳ: — χαίροντι: —

35. τραχύς: — σκληρός: — Vix huc pertinet.

36. εἶεν: — ὑπάρχοιεν, ἦσαν, ἤ ἄγε δή, καὶ ταῦτα μὲν οὕτως, ἤ ἐσμέν, ἤ ἀναφώνησις: — Et hoc vix h. l. spectare puto, sed talia adiicere malo, quam forte utilia quaedam praetermittere.

38. γέρας: — τιμή, σέβας, ἆθλον ἀρετῆς, ἀμοιβή, θέαμα, δωρεά: —

40. σύμφημι: — συναινῶ, συνομολογῶ: —

43. ἄκος: — ὑγιεία (v. ὑγεία) θεραπεία, φάρμακον, καὶ γενεά: —

54. πάρα: — ἐγγύς, πάρεξι: — Neque hae quattuor, puto, huc faciunt.

ψάλια: — κρίκοι (ita saepe Hes. pro κίρκοι) δακτύλιοι: —

57. ματῇ (sic **Toupius ap. Bl. recte, v. ματαιᾷ): — διατρίβει, χρονίζει: —

60. ἄραρεν: — ἡρμόσθη ἢ παχέως δέδεται ἢ κέκριται: — Cf. Bl.

65. διάμπαξ: — δι' ὅλου, καθ' ὅλου, διηνεκῶς, ἐξ ἐναντίας: —

69. θέαμα: — θεώρημα: — Neque has duas huc facere puto.

102. ποταίνιον: — νέον, πρόσφατον· οἱ δὲ σύνεγγυς: —

103. πῆμα: — βλάβη, ἀναπημονή: — Neque haec ad nos.

104. ἀδήριτον: — ἄμαχον, ἀκαταμάχητον: —

109. ναρθηκοπλήρωτον δὲ θηρῶμαι πυρὸς πηγήν: — τὴν ἐν νάρθηκι θησαυρισθεῖσαν κτέ. cum fragm. Eratosthenis. Hanc, opinor, ceteris minus decurtavit Epitomator.

111. πόρος: — ὁδός, τρίβος, ἢ τὸ τοῦ ποταμοῦ ῥεῦμα· οἱ δὲ τὴν διάβασιν αὐτοῦ· οἱ δὲ τὰς γέφυρας· καὶ ἀφορμή: — Huc non facit.

122. εἰσοιχνεῦσιν: — εἰσπορεύουσι καὶ ἐνεδρεύουσι: — αὐλήν: — κοίτην, ἐπαυλισμόν: —

123. κινάθισμα: — κίνημα πλήθους, παραγώγως, ἐξ οὗ πλῆθος παραγίνεται, ὑπακούεται: — Frustra *Schol. A'* et Bl. παραγίνεσθαι, non videntes, comma requiri, et per ὑπακούεται explicari insolentius vocabulum κλύω, quod statim sequitur.

125. πέλας: — γείτων, ἐγγύς, πλησίον: —
126. αἰθήρ: — ὁ ὑπὲρ τὰ νέφη τόπος: —
129. φοβερόν: — δειλόν, ἔμφοβον: —
φοβερόν: — δειλητήριον: — Etiam has quattuor glossas non opinor huc facere.

Statim cum hanc agendi rationem instituerem, duplici nomine eam fallacem sensi, etiamsi HESYCHIUS apta subsidia contineret. Nempe et quaedam vocabula, ut revera accidit in ἐφεῖτο, diligentiam fugere poterant; et alia eaque maximi momenti, scilicet ubi HESYCHII scriptura in primis litteris a recepta discreparet, omnino sic non inveniebantur, ita in superioribus fallere me *debuit* εὐωριάζειν, cum recepta lectio sit ἐζρωιάζειν.

Alteram igitur indagandi viam agressus sum: tum propter has causas, tum ut omnino haberem in unum contractum omnem apparatum HESYCHII ad AESCHYLUM edendum. Perlegebam nempe HESYCHII opus, identidem inspiciens WELLAUERI *Lexicon Aeschyleum* (Lips. Vogel, 1830. 8. II. Tomi, nempe III. IV in Editione AESCHYLI a WELLAUERO curata); exscribebam omnes glossas verba *Aeschylea* spectantes, praeter longiores aliquot, quas annotabam: addebam locos poetae, ubi istiusmodi vocabula occurrerent, dummodo numerum fere quinarium non superarent, tum enim ad WELLAUERUM ablegabam. Eos vero locos fere omnes, mutandi numeros WELLAUERI in *Dindorfianos* causa, apud hunc quaerebam, qua occasione data, paucos quos WELLAUERUS commisit errores invenire debebam, et inveni.

Hoc opus usque ad vocabulum ἐξαίσια, i. e. per tertiam fere HESYCHII partem, spe in dies minore produxi. Iam nunc persuasum habeo, ne unicam quidem in hac HESYCHII parte lectionem exstare meliorem receptae, i. e *Dindorfianae* cum paucis e *La.* correctionibus.

Qua de re etiam aliquid dicendum habeo; sed primum, ut planior fiat sententia, excerptorum specimen dabo. Selegi glossas in vocabula a litteris *ΓΟ* incipientia, propter causam quae statim apparebit.

γοεραῖς: — θρηνώδεσι, πενθικαῖς: — *Agam.* 1176.
γόης: — μάγος, κόλαξ, περίεργος: — *Choeph.* 343.
γόμος: — ζωμός: — *Suppl.* 444.
γόμφοισι: — σφηναρίοις: — *Th.* 542.
γομφῶσαι: — συμπῆξαι: — *Suppl.* 440. Cf. glossas cett. ad similia voce.
γονάς: — τέκνα: — *Prom.* 774. *Pers.* 818. *Agam.* 1565. *Prom. sol.* f. 180 DF. 71 AHR. 180 SCHUTZ. Cf. γονήν.
γόνος: — υἱός, γέννημα, φυλή, καὶ ὁ ἀπόγονος παρ' Ὁμήρῳ: — Cf. γόνοις.
γόνοις: — τέκνοις: — *Suppl.* 172. 312. *Choeph.* 353. 502 *Eum.* 946.
γονήν: — γένεσιν, μητέρα, καὶ τὸ σπέρμα: — Cf. γονάς.
γόνυ κάμψαι: — ἀναπαύεσθαι: — *Prom.* 32. 396. *Pers.* 931. *Agam.* 64.
γονίας: — εὐχερής· Αἰσχύλος Ἀγαμέμνονι: — Est *Choeph.* 1067.
γόον: — θρῆνον κτέ: — WELL.

γοργεῖα: — προσωπεῖα: — *Eum.* 49.
γοργόνες: —αἰγίδες κτέ: — *Prom.* 799. *Choeph.* 1048. *Eum.* 48.
γοργός: — εὐκίνητος, ταχὺς, σκληρὸς, λιπαρὸς, εὐτραφής: — *Th.* 537.
γοργῶπιν: — φοβερόφθαλμον: — *Agam.* 302.
γοργῶπις: — Κρατῖνος ἐν Πυλαίᾳ (cf. Intt. hic et ad Hes. in ζωπυροῦ τάλαντα) λίμνην φησὶ εἶναι ἐν Κορίνθῳ· εἰληφέναι δὲ τοὔνομα διὰ τὸ Γόργην ἐμπεσεῖν εἰς αὐτήν: — An Cratinus habuit Γοργῶπτις?
γοργωπόν: — πικρὸν τὴν βλέψιν, αὐςηρόν: — *Prom.* 356.
γοῦν: — τοίνυν: — *Suppl.* 20. *Agam.* 432. 1426. *Philoct.* (fr. 228.) Schutz.

Hinc nihil novi apparere, certum est, multas vero turbas dedit vocabulum γονίας *Agamemnoni* tributum, cum sit, ut indicavi, ex ipsa fine *Choephorarum*.

In memoriam revocare licebit, periisse ex ipso *La.* quaternionem (16 pp.) continentem vss. 757, *Agam.* 310—1067, et sequentis quaternionis folia tria postrema (12 pp.), continentia *Agam.* vss. 513, 1160 — f., et initium *Choephorarum* usque ad vs. 10, quem primum denuo exhibet MS. Folium unice servatum continet vs. 93, i. e. c. 46 in singulis pp.

Itaque *La.* singulis pp. contineat necesse est c. 47 vss. (16 × 47 = 752; 43—50 dicit Cob. in coll. ad *Ag.* 1067); periere itaque in altera lacuna vss c. 564 i. e. desideramus c. 40 vel 50 vss. e primis *Choephoris*, aut ad minimum 30; non enim plura, opinor, capere potuere titulus, elenchus personarum, hypothesis; nempe et, auctore Cobeto, elenchus personarum in *La.* per lineam continuatur, et hypotheses in ceteras Aeschyli fabulas non longae sunt.

Eaedem lacunae sunt in Editione Robortelli; in caeteris quantum scio MSS. solae *Choephorae* truncatae sunt. Itaque hoc certissimo argumento est, quod neque Elmsleius neque Markscheffelius sustulerunt, tum Robortelli fontem unum esse *Mediceum*, tum vero omnes Codd. integrum *Agamemnonem* exhibentes aut Robortello (1552) antiquiores esse aut non ex ipso *La.* (sed ex eius apographis) derivatos. Saltem eo iuniores nec multi erunt, nec boni; est in numero *Voss.* 2. Franckeni (Bibl. Leid. MSS. Gr. Voss. T. 23 olim 18), nempe apographus e *Paris. B.* (2787) Brunckii, saec. XIV, cf. Faehs. p. vii. xviii. 3—77, Franck. p. vii.

Itaque Hesychii tempore hae duae lacunae nondum exstiterunt, quippe ex ipso *La.*, Hesychio multum iuniore, deperdita parte tragoediae. E numero vss. apparet, verisimillime exstitisse in eodem Codice initium *Choephorarum*.

Verum est, ceteros Codd. e *La.* servasse *Agamemnonem*, quem igitur integrum describere inde potuerunt, initium vero *Choeropharum*, etsi in eiusdem folii versa pagina exstans, qua finis *Agamemnonis*, omiserunt. Quae difficultas unica ratione levari potest, nempe si statuamus, huius folii paginam versam macula contaminatam fuisse antequam (f. cum) primus inde fieret apographus.

Iam si haec vera sunt, Hesychius lacunam utram-

que nondum cognovit, et si pro *Choephoris Agamemnonem* laudavit, hoc errore fecit. Quod praetervidere omnes VV. DD. hac de re agentes, nescii haec folia ex ipso *La.* periisse. Quod me COBETUS in collatione docuit; at VV. DD. nihilominus culpandi sunt, cum idem iam a. 1557 monuerit **VICTORIUS (ap. BLOMF. Praef. ad *Agam.* Ed. Lips. p. IV. v.) Errat igitur BLOMFIELDUS (ad *Choeph.* 1067, ipsi 1053): »unde »discimus hanc fabulam iam Hesychii temporibus »cum Agamemnone confusam fuisse," si plus sibi voluit, quam describentis aut epitomatoris errorem notare, aut memoriae lapsum eius, qui hanc glossam scripsit.

HESYCHIUS autem sine dubio habuit exemplar lacunis nondum mutilum. Scilicet prioris lacunas locos sqq. respicit in glossis suis, quas notabo:

361. γάγγαμον. 561. δρόσοι. 775. ἐναίσιμον.
(385). βιᾶται. (579). γάνος. (791). δῆγμα.
(471). ἄφθονον. 643. δίλογχον. 921. εἵμασιν.
477. διήκει. 692. γίγαντος. (1007). ἄφαντον.
495. διψία κόνις.

Nempe haec sunt, quae ad AESCHYLI mei marginem ex Collectaneis olim et aliud agens annotavi, ita ut plures etiam esse possint a me omissi. Neque HESYCHII partem maiorem complexus sum quam illam *A* — ἐξαίσια, a me excerptam. Deinde ex annotatis plura utpote incertiora omisi.

De altera lacuna non annotaram nisi hos locos:

(1173) δυσμενεῖς. (1501). δριμύς.
(1350). ἐμπεσεῖν. (1574). βαιόν.

Glossae non tales sunt, quae rem conficiant. Accedit alia difficultatem augens:

ΑΣΚΕΥΟΙΣ: — ψιλοῖς, ἀπαρασκεύοις. *Αἰσχύλος Ἀγαμέμνονι*: — At vocabulum ἄσκευος neque in *Agamemnone* ALBERTUS, neque BUTLERUS aut WELLAUERUS in toto AESCHYLO invenerunt, aut ego felicior fui.

Ceteroquin rem ipsam certissimam esse apparet ex locis sqq., ad quos glossas HESYCHII adscripsit BLOMF.

(1407). ἑδανόν. (1446). φιλήτωρ. 1587. ἀπόχρη.
(1409). θύος. 1535. θηγάνει. 1594. κτένας.
1415. οὐ προτιμᾷ. 1564. θέσμιον. 1595. ἀνδρακάς.

Non omnes, pleraeque tamen certae sunt.

Superest quaestio, an integras *Choephoras* habuerit HESYCHIUS? *Potuit* nempe et apud eum initium periisse, *potuit* minus excidisse quam e *Mediceo*, *potuit* in his, quae a *Mediceo* exsulantes HESYCHIUS habuisset, vocabulo ἀσκεύοις locus esse, nempe quod, ut γονίας, ex *Agamemnone* adduxisset HESYCHIUS, ut qui ob deperditum exordium *Choephoras* non agnoverit. Verum est, haec omni verisimilitudini contraria esse; sed haec omnia tamen facta esse possunt; sic demum vocabulo ἀσκεύοις locus invenitur; et quod gravissimum est, HESYCHIUS *Choephoras* unico loco adduxit, ibique sub nomine *Agamemnonis*.

Habuisse HESYCHIUM *Choephoras* paene integras, apparet ex glossa *ΠΡΟΣΚΥΡΕΙ*: — προσεγγίζει: — Illud προςκυρεῖ legitur vs. 3 post lacunam, v. et DINDORFIO 13:

πότερα δώμοισι πτῶμα προςκυρεῖ νέον.

Iam προσςκυρεῖ est vocabulum rarissimum, quod ab

Homero et Aristophane prorsus exsulare e Seeberi et Caravellae indicibus apparet: sed et praeterea illud apud scriptores ante Aristotelem invenire non potui, nisi *προσέκυρσα* bis: Hes. *Theog.* 198. Soph. *O. R.* 1299. Itaque satis certo statui potest, hunc nostrum locum ab Hesychio illustratum fuisse. Praeterea glossa: *ὈΜΗΓΥΡΙΣ*: — *πλῆθος*, *ὄχλος*, *συναγωγή*, *συνέλευσις*: — hunc nostrum locum (vs. 10) spectare potest. Nempe *Tragici* id vocabulum non habere v ntur nisi *Agam.* 4 Eur. *Hipp.* 1179.

Iam conficienda est quaestio: habuitne Hesychius eos vss. quod desideramus? si habuit aliquot vss., habuitne omnium primos cum inscriptione fabulae?

Illud conficere difficillimum esse omnes statim intelligent, quoniam vocabulum istiusmodi, quod ipsum Hesychii glossa spectaret, in iis 7 vss. quaerendum esset, qui felici quodam casu ad nos pervenere. Nec exstant glossae nisi hae:

(2). *ΣΥΜΜΑΧΟΣ*: — *βοηθός*: —

(7). *ΨΙΝΑΧΟΣ*: — *ποταμός*: —

quae huc facere *possent*; ea igitur, quae statim minime verisimilia esse dixi, et id, quod ex iis sequeretur, aliam Codicum familiam iam olim in initio *Choephorarum*, sed minus quam *La.* truncatam Hesychio ad manum fuisse, falsa a nobis credi possunt, non vero mathematica evidentia redargui. Concedent vero omnes, haec fere certo falsa esse, et etiamsi vera forent ex supra disputatis luce clarius evinci, nullam aut fere nullam ex Hesychio nisi ad augenda *Scholia* utilitatem proficisci.

Cum me ita destituissent omnes, quos speraveram, subsidiorum fontes, nil restabat nisi ut ipse et coniecturis poetam emendare tentarem, et novas rationes aggrederer, quibus e praesentibus subsidiis opem pararem. De quibus igitur nunc dicendum erit.

II. NOVAE LECTIONES

E CONIECTURA IN PROMETHEUM INFERENDAE.

Paucissima praemonenda sunt, antequam ad ipsam enumerationem accedam locorum quorundam ex iis, quos coniectura tentavi. Nempe duplex coniecturarum genus omisi, incertiores quae viderentur, et eas, quas alii praeripuissent: hoc autem persaepe mihi accidit, nec factum doleo. Vobis contra doctissimis viris, HIRSCHIGIO, NAUCKIO, aliisque, si forte sunt, gratias habeo agendas pro egregiis argumentis, quae et mihi plurimos fructus attulere.

Contra moneo, si forte vel hic vel in caetero hoc opusculo nullum adscripsi nomen, haec aut in vulgus nota esse aut a me profecta. Quod si qua in re imprudens omisi, veniamcommissi rogo; sciens nemini debitum honorem vel tacendo detraham.

---

36 sqq.: *ΚΡΑΊΤΟΣ.*

εἶεν, τί μέλλεις καὶ κατοικτίζει μάτην;
τί τὸν θεοῖς ἔχθιςον οὐ ςυγεῖς θεόν,
ὅςις τὸ σὸν θνητοῖσι προὔδωκεν γέρας;

Interrogationi si quid addendum est, certe addi oportet novam causam quae *Ἡφαιςον* ad Promethei odium impellat: talis vero causa vocabulo *θεόν* non inest; quin immo forte ad minuendum odium valere hoc posset, respondet nempe Deus: *τὸ συγγενές τοι δεινόν.* Contra aptissime haec quadrant, SI LEGAMUS *θεός.* Cf. vss.

29. *Ἡφαιςος.* (3).

θεὸς θεῶν γὰρ οὐχ ὑποπτήσσων χόλον κτέ.

92. *Προμηθεύς.*

ἴδεσθέ μ' οἷα πρὸς θεῶν πάσχω θεός.

Sin vero *θεός* legamus, sententia non procedit. Sed vs. 38 et languidus est et turbat *ςιχομυθίας* responsionem, in qua ubique *Κράτος binis* vss. utitur, Prometheus singulis: QUIBUS DE CAUSIS EUM ÆSCHYLO ABIUDICO.

---

263 sqq.: *ΠΡΟΜΗΘΕΥ'Σ.*

ἐλαφρὸν ὅςις πημάτων ἔξω πόδα
ἔχει παραινεῖν νουθετεῖν τε τὸν κακῶς

265. *πράσσοντ'· ἐγὼ δὲ ταῦθ' ἅπαντ' ἠπιςάμην.*

Ferri posset fortasse *ἐλαφρόν*, sed potius credo, illud in textum subrepsisse quasi ad *πόδα* pertinens. L. *ἐλαφρός*, i. e. qui in tuto versatur, *pronus*, *facilis* est ad alterum monendum. Cui rei non adversari opinor, quod exempla huius ipsius significationis nulla invenerim.

---

(3) Personarum nomina *maiusculis* excusa initium *ῥήσεως* indicant; litteris *cursivis* quas dicunt mediam *ῥῆσιν*.

---

266 sqq.: *Προμηθεύς.*

ἑκὼν ἑκὼν ἥμαρτον, οὐκ ἀρνήσομαι.
θνητοῖς δ' ἀρήγων αὐτὸς εὑρόμην (f. *εὑρόμην αὐτός*) *πόνους.*
οὐ μήν τι ποιναῖς γ' ὠόμην τοίαισί με
κατισχνανεῖσθαι πρὸς πέτραις πεδαρσίοις,
270. *τυχόντ' ἐρήμου τοῦδ' ἀγείτονος πάγου.*

Mira videtur haec confessio in eo, qui modo dixerat se omnia scivisse; quam difficultatem nullo modo sustulere VV. DD.

Praeterea ipsa res in his male exponitur.

Incipit dicendo, se non omnia scivisse, et quidem ignoravit, aut, sibi *Δία* poenam esse inflicturum; aut, quam severa illa foret.

Sed ipse dixit vss. 101 sqq.:

πάντα προὐξεπίζαμαι
σκεθρῶς τὰ μέλλοντ', οὐδέ μοι ποταίνιον
πῆμ' οὐδ' ἓν ἥξει.

et vs. 265, statim ante:

ἐγὼ δὲ ταῦθ' ἅπαντ' ἠπιζάμην.

Ceterum dicit *πρὸς πέτραις πεδαρσίοις* et ita *Rob.* Sed *La.* *πεδαρσίαις*, forte *indicium* interpolationis. Ipsam locutionem allegato vs. 4 defendit Elmsl. ap. Bl. p 181. *E. R.* p. 231. Eiusdem vera addam (ibid.): » Haec verba plus una menda laborare videntur. Haud facile crediderim Tragicum *τοιαῖσι* dicturum fuisse, » cum eadem opera scribere posset *τοιαῖζδε*. De hac re » plura vide ad vss. 906" (908 Df., sed non credo).

» Deinde *με* prorsus supervacaneum est" (immo Latinum, non Graecum) » et pro *τυχόντ'* malim *τυ-* » *χών*.... Hinc apud nostrum *τοιαισίδε* et *τυχών* re- » pono." Sed *τοιαισίδε* Graecum non esse opinor; certe et ego non invenio, et non habent Aeschylus, qui 8 locis (5 *Prom.*) dativum pluralis usurpat, Sophocles (6 ll.) et lexicographi, quos inspicere potui. Contra quod quis afferret e Papio (*Handwörterbuch der Gr. Sprache*, 2e Aufl. Braunschw. Vieweg u. Sohn. 1850 1°. II Tomi, 4 Partes. in v.): » Die ge- » nauern Schriftsteller beziehen es" (*τοιόζδε*) » auf » das Folgende, wie *τοιοῦτος* auf das Vorangegange- » ne" de Aeschylo certe non valet, nempe *superiora* spectant ad unum omnes loci *Promethei* 17, ubi *τοιόσδε* recurrit, vss. 8. 96. (112). 221. (237). 255. (370). 655. 669. 864. 873. 913. 932. 964. 1026. 1054. 1089. Parenthesi ( ) et hic et per totum opusculum locos includo, de quibus vel levissima possit esse dubitatio, uncinis [ ] ubi de lectione non constet.

Vocabulum *πάγου* ex vss. 117. 129 etiam huc ut in vs. 20 inferri potuit, ubi *La. Rob.* *τόπῳ*, quod igitur servandum est, donec certius quid ea de re constet.

Ἔρημος et *ἀγείτων*, etsi non prorsus eiusdem significationis, *ταυτολογίαν* tamen efficere videntur.

Quae argumenta satis me movent, ut haec interpolata credam. Quibus eiectis, et sensus melius procedit, nempe mentio futuri mali, ut animus a prae-

sente calamitate avertatur, aptissima est statim post verba (vs. 265 sqq.):

Προμηθεύς. ἐγὼ δὲ ταῦθ' ἅπαντ' ἠπιςάμην.
ἑκὼν ἑκὼν ἥμαρτον, οὐκ ἀρνήσομαι·
θνητοῖς δ' ἀρήγων αὐτὸς εὑρόμην πόνους.

nam se praesentia scivisse, antequam facta sint, melius demonstrare nequit Prometheus quam futura vaticinando, quod iam facturus est. Hoc vero impediunt vss. de quibus agimus, nec optime Oceanidas a malo praesente revocaret Prometheus, si ipse, ut h. l. facit, mentem earum iterum eo flecteret.

---

284. sq. *Ὠκεανός. ἥκω δολιχῆς τέρμα κελεύθου*
285. *διαμειψάμενος πρός σέ, Προμηθεῦ.*

Vocabulum *ἥκω*, *adsum*, absolute stare posse, statim apparebit e vs. 299, et notum est. Contra *ἥκειν πρός τινα* vel ipse Aeschylus habet 4 locis, *Agam.* 647. 679. *Choeph.* 659. *Prom. λυομ.* fr. 181 Dr. 64 Ahr. 181 Schutz.

Verum *constructio* postulat, ut *πρὸς σέ* pendeat a *διαμειψάμενος*: illud autem ante Plut. *Cim.* 10 nemo quantum scio posuit; ad q. l. Steph. in v. (legitur enim *διημείβετο πρὸς αὐτὸν τὰ ἱμάτια*): »Ubi observa *πρὸς αὐτόν* loco dativi" nec, opinor, illud *πρὸς σέ* cum *ἥκω* potest coniungi. Credo haec interpolatori tribuenda esse.

---

330 sqq. *Προμηθεύς.*
ζηλῶ σ' οθούνεκ' ἑκὸς αἰτίας κυρεῖς,

331. *πάντων μετασχὼν καὶ τετολμηκὼς ἐμοί.*
καὶ νῦν ἔασον μηδέ σοι μελησάτω.
πάντως γὰρ ου πείσεις νιν· οὐ γὰρ εὐπιθής.
πάπταινε δ' αὐτὸς μή τι πημανθῇς ὁδῷ.

Multis premuntur ea verba. Primum *ἐκτὸς αἰτίας* esse nemo potest *πάντων μετασχών* alicui qui culpam confitetur, sed hoc argumentum mihi ipse eripiam, si ostendero vs. 331 spurium esse.

Sed Oceanus non ideo extollendus est, quod *culpae* (*αἰτίας*) exemptus sit: nempe talis est ea culpa, qua non vacare se gloriatur Prometheus; sed quod *ἐκτὸς αἰκίας* (*contumeliae*) sit Oceanus. Cf. vs. 326 sq.:

Προμ. ὃ δ' οὖν ἐρωτατ', αἰτίαν καθ' ἥντινα
αἰκίζεταί με, τοῦτο δὴ σαφηνεῖ.

vs. 255 sqq.: *Χορός.*

τοιοῖσδε δή σε Ζεὺς ἐπ' αἰτιάμασιν
αἰκίζεταί τε κοὐδαμῇ χαλᾷ κακῶν.

Quibus accedit quod vs. 178 pro *αἰκίας*, quod metrum postulat, *Rob.* *αἰτίασ* habet: et saepissime permutata sunt.

Dici potest *πάντων μετέχειν τινι*, et dixit v. c. Eurip. *Hel.* 1221:

Ἑλένη.
κἀγὼ μετέσχον Πριαμίδαις δυσπραξίας.

Heracl. 7 sq.:

Ἰόλαος. *πόνων*
πλείςων μετέσχον εἷς ἀνὴρ Ἡρακλέει.

Similiter usurpat ipse Aeschylus *μετεῖναι*, quod verbo *μετέχειν* pro passivo est, *Eum.* 575:

Χορός. τί τοῦδε σοὶ μέτεςι πράγματος λέγε.

et SOPH. *O. R.* 630: *ΚΡΕΩΝ.*

κἀμοὶ πόλεως μέτεςιν, οὐχὶ σοὶ μόνῳ.

At *μετατολμᾶν*, opinor, nemo umquam dixit (non habet ne STEPH. quidem); neque tmesis cogitari potest, aut constructio *τολμᾶν τινὸς τινί.* Eos vero, si qui sunt, qui *μετά* subaudire volunt scilicet, nil moror.

Deinde nego, Oceanum Prometheo socium omnino fuisse. Non habent HESIODUS et APOLLODORUS, quorum auctoritate in Mythologia maxime standum est; ceteros si qui forte erunt, ex ipso AESCHYLI illud hausisse arbitror. Sed, quod gravissimum est, ipse poeta obloquitur, fecit enim dicentem Oceanum vs. 338 sq.:

αὐχῶ γὰρ αὐχῶ τήνδε δωρεὰν ἐμοὶ
δώσειν Δί', ὥςε τῶνδέ σ' ἐκλῦσαι πονων.

Non vero solemus, puto, sociis facinoris alicuius prae ceteris sociorum poenam remittere.

Attamen potuerunt seriores sine graviore quam qui facile committi posset errore vel ex AESCHYLO non interpolato illud petere; nempe ex vs. 334:

Προμηθεύς. *πάπταινε δ', αὐτὸς μή τι πημανθῇς ὁδῷ.*

vs. 344 sqq.:

Προμηθεύς. *ἀλλ' ἡσύχαζε σαυτὸν ἐκποδὼν ἔχων.*
ἐγὼ γὰρ οὐκ εἰ (*οὐ κεῖ* recte HIRSCHIG.)
δυςυχῶ, τοῦδ' οὕνεκα
θέλοιμ' ἄν ὡς πλείςοισι πημονὰς τυχεῖν.

vs. 374:

Προμηθεύς. *σεαυτὸν σῶζ' ὅπως ἐπίςασαι.*

vs. 388 sqq. ex meo ordine 389, 90, 87, 88. v. infra):

ΠΡΟΜΗΘΕΥ'Σ. *μὴ γάρ σε* (l. *γὰρ σὲ*) *θρῆνος οὐμὸς εἰς ἔχθραν βάλῃ.*

'ΩΚΕΑΝΟ'Σ. *ἦ τῷ νέον θακοῦντι παγκρατεῖς ἕδρας;*

ΠΡΟΜΗΘΕΥ'Σ. *τούτου φυλάσσου μή ποτ' ἀχθεσθῇ κέαρ.*

Itaque vs. 331 AESCHYLO ABIUDICANDUM PUTO.

Porro toti sententiae obiiciendum est, quod tres vss. posteriores singuli per se stent et maiore interpunctione separandi sint, ratione minime *Aeschylea*: hoc enim poeta, ubi persona continuatur, in toto *Prometheo* non fecit. Sed hoc levissimum est, et vix argumenti nomine dignum.

Gravius est, quod *νιν* non habet, quo se referat. Nempe etsi *legenti* satis apparet, hoc vocabulo *Δία* significari, tamen et huic et multo magis auditoribus male egisset poeta haec scribens, quia ultima *Διός* mentio est novem vss. ante, vocabulis non ita expressis, vs. 323 sq.

'Ωκεανός. *ὁρῶν ὅτι*
τραχὺς μόναρχος οὐδ' ὑπεύθυνος κρατεῖ.

quin immo penultima mentio, ultima ubi *Ζεύς* ante h. l. nominatur, distat vss. 20, nempe vs. 313.

Argumentum Promethei, huic vs. inclusum, neque ipsum bonum est. Non facile *Ζεύς* movetur, inquit, non est *εὐπιθής*: *igitur omnino* (*πάντως*) eum non movebis. Sed et hoc et quod duplex sit in vs. argumentatio per repetitum *γάρ*, leviora sunt. Ego tamen NEQUE

HUNC VS. (333) AESCHYLEUM CREDERE POTUI.

Accedunt indicia interpolationis, si quidem illa e nota marginali originem habuit, lectiones πείθεις pro πείσεις, quod habet *La.* (et *Medbl. Medw.*) et εὐπειθής iam contra metrum pro εὐπιθής, *La. Rob.*

Duplex illud γάρ defendit PORSONUS ad EUR. *Med.* 139 sq. (138 BLOMF. levi errore) adductis h. l. et *Suppl.* 494. 483 sq. DF. *Choeph.* 751. 753 sqq. DF. 989 sq. Et certe demonstravit, hoc argumento rem non absolvi.

Facilius apparebit, in vs. 334 illud, quod ad Oceanum pertinet, non esse, ut *ipse* circumspiciat, ne malo afficiatur, sed ut circumspiciat, ne *ipse* sibi malum inveniat. Quapropter inter δ' et αὐτός comma ponendum est.

Iam restat vs. 332. De quo dubito, etsi propensior ad eum damnandum: quo facto meliorem sententiam haberemus, et sublata esset suspicio ea quam movet eius sedes inter duos vss. spurios. Accedit interpolationis indicium, quod pro μηδέ legant μηδέν *La. Rob.* De collatione SALVINII tacent, ubi non adscribo, BUTLERUS, SCHUTZIUS, BLOMFIELDUS, WELLAUERUS.

Ἐάν sine acc. pers. stare potest, et exstat *Th.* 378. *Phil.* Fr. (230) DF. (102) AHR. (229) SCHUTZ. Sine acc. et personae et rei vel sine verbo non habet AESCHYLUS (4 ll.) SOPHOCLES autem *Elect.* (632) (1209). *Aiax* 1184. *Phil.* 444. (817). *Oed. C.* 593. 625. (1135), qui omnino 50 locis eo verbo utitur. Contra μελησάτω qui dixerit, neminem ne apud STEPHANUM quidem (in v.) invenio, neque illud dici posse opinor.

---

370 sqq. Ὠκεανός.

τοιόνδε Τυφὼς ἐξαναζέσει χόλον
θερμοῖς ἀπλήστου βέλεσι πυρπνόου ζάλης,
καίπερ κεραυνῷ Ζηνὸς ἠνθρακώμενος.

Omnino faciendum est cum ELMSLEIO, qui vss. 347—372 Prometheo continuat (apud BLOMF. ad h. l. et p. 181 *E. R.* 231). In vs. 371 θερμῆς habent *La. Rob.* De ea re sic **H. STEPHANUS (ap. BUTL. I. Not. Crit. 41): »quod (θερμοῖς) malo, ut bina utrique substantivo epitheta adiungantur. Non est tamen prorsus inusitatum tria epitheta uni substantivo apponi." Debuisset, qui talia pronuntiat, exemplis sententiam adstruere, quam non possum quin pro falsissima habeam. Nempe spurius est AESCH. *Th.* 610:

Ἐτεοκλῆς. σώφρων, δίκαιος, ἀγαθὸς, εὐσεβὴς ἀνήρ.

Itaque θερμῆς et auctoritate documentorum et usu defenditur. Sed tum θερμὰ βέλη, tum ζάλη θερμή mirum quantum friget. Scio quam fallax sit tale argumentum, sunt tamen ineptiae tam putidae, ut eas vix ulli sano tribuere possimus; in harum autem numerum hanc refero.

Deinde ἀπλήστου quid significat? Nempe *insatiabilis.* Credo. At si quis insatiabilis est, aliquid esse debet cuius satiari nequeat; illud autem non video, nisi forte sint ipsa illa βέλη, quod absurdum esset.

Aut ἀπλήστου significat *magnae*, universe, et sic

Papius in v., adducens Aesch. *Eum.* 933 Well. 976 sqq. et Soph. *El.* 1336. Sed priorem locum e Wellauero describens erravit in notatione; locus quem et excerpsit et manifesto voluit est *Agam.* 100 sqq.:

Χορός. ἡ (μέριμνα) νῦν τότε μὲν κακόφρων τελέθει,
τότε δ' ἐκ θυσιῶν ἀγανὰ φαίνουσ'
ἐλπὶς ἀμύνει φροντίδ' ἄπλησον
τῆς θυμοβόρου φρένα λύπης.

Sed h. l. nil ad rem facit, nempe et hic et saepissime ἄπλησος significat *inexplebilis*, quod praetervidit Passowius (*Handwörterbuch der Gr. Sprache, begründet von* Fr. Passow, *fortgesetzt von* Rost *u.* Palm; *des urspr. Werks* 5e *Aufl.* Leipz. Vogel. 1841) in v., nec nisi verbo attingit Papius. (Memorat eam significationem Steph. ll. Ed. Lond. Valp. 1815—28 F. X Tomi). Alter locus, Soph. *El.* 1336, memorat ἄπλησον χαράν, si Papio fides habeatur; at vs. ita se habet:

Παιδαγωγός. καὶ τῆς ἀπλήσου τῆσδε σὺν χαρᾷ βοῆς
εἴσω παρέλθεθ' κτέ.

nempe βοή est ἄπλησος, *inexplebilis*, nempe exclamationum identidem novarum.

Sic per *inexplebilis* vertendi sunt ceteri etiam Aeschyli duo loci, *Suppl.* 741 sq. *Eum.* 976 sqq.; non vero noster, quoniam ζάλη nil quo expleri conetur habet nisi βέλη, illud autem vocabulum in dativo positum est. Nam post ἄπλησος, *inexplebilis*, genitivus requiritur. Cf. *Suppl.* 741 sq.:

Χορός. ἐξῶλές ἐστι μαργὸν Αἰγύπτου γένος,
μάχης τ' ἄπλησον· καὶ λέγω πρὸς εἰδότα.

Eum. 976 sqq.

Χορός. τὰν δ' ἄπλησον κακῶν
μήποτ' ἐν πόλει στάσιν
τῇδ' ἐπεύχομαι βρέμειν.

omisit tamen hunc genitivum Soph. *El.* 1336. *Immensus* significat apud Diod. Sic. **II. 170, quem l. inveniri non potui. Cf. Eur. ***Hyps.* fr. V Dr., ***Phaeth.* II. b. 12.

Denique ζάλη aut de aqua dicitur, aut de vento. Utriusque rei singula exempla habet Aeschylus, *Agam.* 655 sqq.:

Κήρυξ. αἱ δὲ (ναῦς) κεροτυπούμενοι βίᾳ,
656. χειμῶνι τύφῳ σὺν ζάλῃ τ' ὀμβροκτύπῳ,
ῳχοντ' ἄφαντοι ποιμένος κακῷ στρόβῳ.

ubi alterutrum intelligi potest. Ibid. 665 sq.:

Κήρυξ. ὡς μήτ' ἐν ὁρμῷ κύματος ζάλην ἔχειν,
μητ' ἐξοκεῖλαι πρὸς κραταίλεων χθόνα.

Cf. et Soph. *Aiax* 352:

Αἴας. ἴδεσθέ μ' οἷον ἄρτι κῦμα φοινίας ὑπὸ ζάλης
ἀμφίδρομον κυκλεῖται.

Contra de igne nemo quantum scio dixit ζάλη, excepto Apd. *Bibl.* I. vi. 3 de ipso Typhone: πολλὴ δὲ ἐκ τοῦ στόματος πυρὸς ἐξέβρασε ζάλη. Itaque si vs. hic interpolatus est, factum hoc fuit ante Apollodorum, quem *Prometheo* usum esse credo.

Omnibus his causis, quae ad vs. eiiciendum me movent, duae accedunt; altera, quod sensus eo sublato forte melior fiat, certe non peior; altera quod, ni magnopere fallor, bellum istum vs. conflavit aliquis ampullarum amator ex *Agam.* 656, quem modo adduxi.

384 sqq.

'ΩΚ. ἔα με τήνδε τὴν νόσον νοσεῖν, ἐπεὶ
385. κέρδιςον εὖ φρονοῦντα μὴ δοκεῖν φρονεῖν.
ΠΡΟΜ. ἐμὸν δοκήσει τἀμπλάκημ' (l. τἀπλάκημ') εἶναι τόδε.
'ΩΚ. σαφῶς μ' ἐς οἶκον σὸς λόγος ςέλλει πάλιν.
ΠΡΟΜ. μὴ γάρ σε (l. γὰρ σέ) θρῆνος οὑμὸς εἰς ἔχθραν βάλῃ.
'ΩΚ. ἦ (l. ἢ) τῷ νέον θακοῦντι παγκρατεῖς ἕδρας;
ΠΡΟΜ. τοῦτον φυλάσσου μή ποτ' ἀχθεσθῇ κέαρ.
'ΩΚ. ἡ σή, Προμηθεῦ, συμφορὰ διδάσκαλος.
ΠΡΟΜ. ςέλλου, κομίζου, σῶζε τὸν παρόντα νοῦν.
'ΩΚ. ὁρμωμένῳ μοι τόνδ' ἐθώυξας λόγον κτέ.

Praemoneo, me ex coni. Elmsleii (ap. Bl. ad h. l. et p. 181 *E. R.* 231 ad vs. ipsi 347) vss. 347—373 Prometheo continuanda censere.

Sed etiamsi hoc verum est, longe fortius tamen Oceanus studium suum Prometheo significavit, quam ut sine nova causa eaque gravi adeo sententiam mutet quam num facit. Ea causa, metus *Διός*, reperitur si levi transpositione vss. legamus hoc ordine:

386. Π. ἐμὸν δοκήσει τἀπλάκημ' εἶναι τόδε.
389. 'Ω. ἦ (an) τῷ νέον θακοῦντι παγκρατεῖς ἕδρας;
390. Π. τοῦτον φυλάσσου μή ποτ' ἀχθεσθῇ κέαρ.
387. 'Ω. σαφῶς μ' ἐς οἶκον σὸς λόγος ςέλλει πάλιν.
388. Π. μὴ γάρ σε θρῆνος οὑμὸς εἰς ἔχθραν βάλῃ.
391. 'Ω. ἡ σή, Προμηθεῦ, συμφορὰ διδάσκαλος.

Quo facto omnia recte procedunt. Vs. 386 sic interpretandus erit: *meum, me auctore commissum, videbitur hoc facinus.* Cui apte respondet Oceanus: an *Διί*? et iterum Prometheus: *illi ipsi.* Contra omnia languent, si dixisset: *noli inimicitias contrahere mea causa*, et Oceanus: *profecto* (ἦ, cf. tamen Soph. *Ai.* (38). (1097) (1133) quae mihi adversari non credo, apud Steph. in v.) *Διός inimicitias dicis.*

Itaque vs. 388 emphasis pronominibus inest, quoniam huic unico fini inservit, ut Prometheus Oceano ironice discrimen indicet inter superiora promissa et metum de sua salute, quem nunc ille ostendit. Tum etiam recte intelligitur demum vs. 391, nempe et Prometheus ob alienam causam cruciatus patiebatur.

403. sqq.

Χορός. ἀμέγαρτα γὰρ τάδε Ζεὺς
ἰδίοις νόμοις κρατύνων ὑπερήφανον θεοῖσι
403. τοῖσι πάρος δείκνυσιν αἰχμάν.

La. ὑπερ. θεοῖσ τοῖσ πάροσ ἐνδεικνύειν (ΥΕ*IN* pro ΥΣ*IN*) αἰχμήν, *Medbl.* ἐνδεικνύειν, *Medb.* ὑπερήφανον θεοῖς τοῖς πάρος ἐνδεικνύειν, *Medw.* θ. τ. π. ἐνδεικνύειν) *Rob.* ὑπερήφανον θεοῖς τοῖς πάρος δείκνυσιν αἰχμάν.

Recte igitur Blomf. τοῖς scripsit, et ἐνδείκνυσιν; non recte vero θεοῖς: Blomf. enim, vir summus, in metris *Aeschyleis* infelicior est. Metrum strophes et ant. priorum est *Ionicum a minore* cum anaclasi, quod praeceditur tribus *Choriambis* cum syllaba, clauditur *Logaoedico:* interpunctio hoc ostendit, et

verba quae per unum hoc metrum dissecari non opus est. Quod metrum si voluit Dr., ipsi scribendum fuisset δακρυσίςακτον ἀπ' ὄσσων vs. 400, non δακρυσίςακτον δ' ἀπ' ὄσσων, quod respuunt metrum *Ionicum* et antistrophe (vs. 409), nec satis defendit, quem Schutzius ingeniose adduxit, vs. 144 sq.:

Χορός. λεύσσω, Προμηθεῦ, φοβερὰ δ' (l. δνοφερὰ δ'. Hirsch.)
ἐμοῖσιν ὄσσοις ὁμίχλα
προσῆξε πληρης δακρύων κτέ.

nam sic vss. distribuendi sunt.

Idem vero metrum θεοῖσι requirit, et σοῖσι in antistrophe, quod et ipsum habet Dr.; *La.* contra vitiose σοῖσ, *Rob.* σοῖς.

Vocabulum αἰχμή hastam significare, cui non est notum? Quae significatio cum huc non faceret, tropicam aliquam quaesivere VV. DD. En tibi Butlerum (I Not. Phil. p. 156) »imperium: nam pro sceptris imperii insigne reges antiquitus hastam gerebant. Vide quae annotavit Stanleius ad Sept. Th. 535. Ὄμνυσι δ' αἰχμήν." Ll. **Stanl. (ap. Butl. IV. p. 215) »Iustinus Epitome Trogi Pompeii XLIII. 3. »*Per ea adhuc tempora Reges hastas pro diademate habebant, quas Graeci* σκῆπτρα *dixere: nam et ab origine rerum pro Diis immortalibus veteres hastas coluere: ob cujus religionis memoriam adhuc Deorum simulacris hastae adduntur.* Haec »Justinus, quae nostro miram lucem afferunt. *Hasta*, »inquit Festus, *olim summum armorum imperium »significabat: neque vero tantum imperium militare, sed et summam etiam in civilibus auctoritatem designavit.* Hinc patet hasta et σκῆπτρον »idem olim fuisse." Ineptit.

Certe adduci possunt Aesch. *Prom.* [925], de quo l. infra, nec plures quam hos duos locos adducunt caeteri et Stephanus in v. (*Thesaurus Gr. Linguae*, edit. Hase, de Sinner, Fix. Paris. Didot. 1831. Prodierunt A — ἁλώφυτος, B — συμμεταβάλλω); *Agam.* (482), *Choeph.* (630), ubi de αἰχμῇ *muliebri* sermo est; eo etiam Fixius ap. Steph ll. pertinere putat Eur. *Troad.* 346. Sed res incerta manet, et Blomf. utrumque locum vertit per *indoles* (ad *Agam.* ll.). Et *hasta*, vel quae primaria significatio est, *acies teli*, significat αἰχμη in ceteris 7 Aeschyli, 3 Sophoclis locis, quin immo in loco Stanleii, *Th.* 529, ubi vel ridiculum opinor (de Parthenopaeo pugnam inituro) sceptrum, non hastam cogitare: quod et fecit Stanl. adducto Eurip. *Phoen.* 1677. Cf. et Eur. *Hec.* [104].

Iam *indoles* ex Blomfieldi sententia defendi potest, sed quod ipse sensus manifesto requirit est *imperium*, quo facit v. c. ἰδίοις νόμοις κρατύνων vs. 404, ut etiam per totam tragoediam de *imperio*, non de *indole* Διός queruntur personae.

Itaque L. ἀρχάν: scilicet fuit *AIXAN*, opinor, in codice unciali charactere scripto pro *APXAN*, cum nempe pars litterae *P* periisset, inde αιχαν *legit*, αἰχμάν de suo *scripsit* librarius. Ea commutatio frequentissima est in Cod. **Paris. e quo fragmentum *Phaethontis Euripidei* (p. 114 Dr. *Phaeth.* II) eruit **Bekkerus, et nota est, cf. Bast, *Comm.*

Palaeogr. (GREGORII CORINTHII *et aliorum libri de Dialectis Linguae Gr.*, *cum notis Koenii et all.*, *ed.* G. H. SCHAEFER. *Acc.* F. I. BASTII *Comm. Pal. cum Tabb. aenn.* VII. Lips., Weigel, 1811, 8°) p. 731 sq., qui hanc causam non memorat. Contraria corruptela est *Th.* 105:

Χορός. κτύπον δέδορκα, πάταγος οὐχ ἑνὸς δορός.

L. *δέδοικα*, nam quis umquam *sonitum vidit?* Forma *δέδοικα*, *timeo*, septies est apud AESCH. et quidem semel in vicinia, vs. 249.

Denique quod ad *ἐνδείκνυσιν* pertinet, verbum exstat SOPH. *O. C.* 48. EUR. *Alc.* 164. *Bacch.* 47. PLAT. *Gorg.* 488 A. *Polit.* 278 B. 308 E. PIND. *Ol.* VII. 105 (58 DISS.), ubique significans *ipso facto ostendere.*

---

459 sqq.

Προμηθεύς. καὶ μὴν ἀριθμὸν ἔξοχον σοφισμάτων,
460. ἐξεῦρον αὐτοῖς, γραμμάτων τε συνθέσεις,
μνήμην θ' ἁπάντων μουσομήτορ' ἐργάτιν.

Hi vss. nunc l. nostro leguntur. SED INDE MOVENDI SUNT, PERTINENT ENIM AD AESCHYLI *Palameden.*

Quam sententiam ut tuear, paulo longior requiritur disputatio. Ante omnia adducendus est STOBAEUS *Ecl. Phys.* I. p. 4. HEEREN (ap. BLOMF. ad h. vs. ipsi 467), ubi sic e *Prometheo* legitur:

458. ..... *τάς τε δυσκρίτους ὁδούς,*
† ἀριθμὸν εὑρὼν ἔξοχον σοφισμάτων.
ἔπειτα πάσης Ἑλλάδος καὶ ξυμμάχων

βίον διῴκησ', ὄντα πρὶν πεφυρμένον
θηρσὶν θ' ὁμοιον· πρῶτα μὲν τὸν πάνσοφον
† ἀριθμὸν εὕρηκ' ἔξοχον σοφισμάτων·

Recte BUTL. (I. Not. Crit. p. 53) hos tres vss. (*ἔπειτα—πάνσοφον*) »emblema" esse pronuntiat. Sed auget difficultatem BLOMF. ll., dicens » satis enim liquet » hos versus, si nostri sunt, ex Palamede fabula de» sumtos fuisse." Nempe si haec in *Palamede* legebantur, eo transferri nequeunt vss. quos volo.

Fuit in *Palamede* locus huic e *Prometheo* simillimus, i. e. continens enumerationem eorum, quae ille pro humano genere fecisset. Cf. fr. 168 DF. 250 AHR. 168 SCHUTZ. ap. **ATH. *Deipn.* I. p. 11 E, ex **PORSONI emendatione:

καὶ ταξιάρχας χἑκατοντάρχας στρατῷ
ἔταξα, σῖτον δ' εἰδέναι διώρισα,
ἄρισα, δεῖπνα, δόρπα θ' αἱρεῖσθαι τρίτα.

Et revera AESCHYLUS, quem et ipsum arrodere solebat ingrata plebecula, multum sibi placuisse videtur in fingendo magno quodam viro quem vulgus opprimeret. Ita Prometheum novimus, et Amphiaraum in *Th.*, similiter Casandra in *Agam.* occurrit, occurrisse videtur Prometheus in *Προμηθεῖ λυομένῳ*, Palamedes ipse, Philoctetes in cognomine fabula: nec, opinor, multum diversi fuere Aiax in *Ὅπλων κρίσει*, Oedipus in tragoedia cognomine, ne appellem Nioben, Iphigeniam, Penelopen et (in *Ἕκτορος λυτραῖς*) Priamum.

Numerorum inventio tribuitur variis. Quod *Schol. A'* ad 458 dixit: *ταύτην τὴν εὕρεσιν καὶ Παλαμήδῃ*

(l. *Παλαμήδει.* Cob.) *προσῆψε*, ipsum Stobaei locum spectare videtur, sed ni loco movit *Scholiastes* ea verba, astronomiae inventionem spectant.

At Plato *Rep.* VII. p. 522 D: *παγγέλοιον οὖν, ἔφην, ςρατηγὸν Ἀγαμέμνονα ἐν ταῖς τραγῳδίαις Παλαμήδης ἑκαςότ' ἀποφαίνει· ἢ οὐκ ἐννενόηκας, ὅτι φησὶν ΑΡΙΘΜΟΥ ΕΥΡΩΝ τάς τε τάξεις τῷ ςρατοπέδῳ καταςῆσαι ἐν Ἰλίῳ καὶ ἐξαριθμῆσαι ναῦς τε καὶ τἆλλα πάνθ', ὡς πρὸ τοῦ ἀναριθμήτων ὄντων καὶ τοῦ Ἀγαμέμνονος, ὡς ἔοικεν, οὐδ' ὅσους πόδας εἶχεν εἰδότος, εἴπερ ἀριθμεῖν μὴ ἐπίςατο;* quae ultima verba adscripsisse videtur homo doctus nescio quis verens, ne cephalalgiam, ut ferunt, cogitando lectores contraherent. Quibus vss. manifesto Aeschylus spectatur, ut vidit **Butl. (ap. Df. *Pal.* — ipsum Butleri locum non invenio) qui nonnisi verbo attingit.

Soph. (fr. 379 Df. 194 Ahr.) sic Nauplium dicentem inducit:

οὗτος δ' ἐφεῦρε τεῖχος Ἀργείων ςρατῷ
ςαθμῶν, ἀριθμῶν καὶ μέτρων εὑρήματα·
κἀκεῖν' ἔτευξε πρῶτος ἐξ ἑνὸς δέκα
κἀκ τῶνδέ γ' (f. τῶν δέκ') αὖθις εὗρε πεντηκοντάδας
εἰς χιλί'· οὗτος κτέ.

Nihil Euripidis fgmm. Quapropter errare puto virum doctissimum I. I. de Gelder ad Theon. Smyrn. *Arithm.* qui p. 5 **Bull. 7 Geld. locum Platonis modo adductum refert, dicit enim Gelderus (p. 94—96, praesertim 96): » Platonis verba, quae Theon expressit, ad Tragicos poëtas ita respiciunt quasi fuerit » haec fabula de Palamede locus quem communem vo-

» cant, a pluribus veterum Tragicis memoratum, qui » poëtae frequenter Palamedem inducerent Arithme- » tices imperitiam Agamemnonis reprehendentes", respicitur enim, ni fallor, unus Aeschylus.

Litterarum inventionem Prometheo nemo tribuit praeter **Suid. ap. Schutz. I. II. p. 91, credo ex h. l. Palamedi vero litteras *ΘΞΦΧ* assignat Plin. *Hist. Nat.* VII. 57, ubi Buttmannus (*Ausf. Gr. Sprachl.* 2 Ausg. 2 Bde. Berlin, Mylius. 1838. 8.) I. § 2. p. 12 probabiliter scribendum censet *ΖΘΦΧ*, cf. ***Schol.* ad Dion. Thrac. p. 781, 3. 782 not. Omnes vero litteras eum invenisse dicit Eur. *Pal.* (f. II. Df. p. 104) ap. **Stob. LXXIX. p. 469:

τὰ τῆς γε λήθης φάρμακ' ὀρθώσας μόνος
ἄφωνα καὶ φωνοῦντα, συλλαβάς τε θεὶς
ἐξεῦρον ἀνθρώποισι γράμματ' εἰδέναι κτέ.

et sic *Schol.* Eur. *Or.* 422 Matth. 433 Df.

Vs. 461 sic scripsit **Hemst. ad Luc. *Iud Voc.* I. 88:

μνήμης ἁπάντων μουσομήτορ' ἐργάνην.

et sic **Brunck. ap. Butl. (Not. Crit. I. 53), comparans Liv. VI. 1 » rarae per eadem tempora *litterae* » fuere, una *custodia* fidelis *memoriae rerum gesta-* » *rum*" Sed falluntur viri summi. Nempe, quod in eo fuit ut animadverteret Schutz. I. II. p. 91, *μνημην* eodem casu stare oportet quo *μουσομήτορα*, cui accusativus nulla vi demi potest; quoniam per *μνήμην μουσομήτορα* respicit poeta *Μνημοσύνην τὴν Μουσῶν μητέρα* ut *αἶαν σιδηρομήτορα* vs. 301, *παμμητωρ τε γῆ* vs. 90, nam sic recte *La.* pro *Dindorfiano παμμῆτόρ τε γῆ.* Sed alienissimum esset, dicere Pro-

metheum μνήμην a se inventam, si illud referens iam ipsius μνήμης deam eiusque filias significasset.

Sin vero hoc lucrati sumus, censendi sunt post vs. 461 unus pluresve abesse, in quibus verbum inveniatur μνήμην regens, nam illud ab ἐξεῦρον pendere nequit.

Praeterea in *Prometheo* sensus sine his vss aptissime procedit, cum iis non item. Ἀριθμὸν ἔξοχον σοφισμάτων *Pythagoreum* est, non *Aeschyleum*; non enim poetam ob Cic. *Tusc.* II. 10 *Pythagoreum* faciemus. Sed gravius est, quod omnia haec pertineant ad homines iam longe cultiores quam quibus Prometheus opem tulit. Hic enim hominibus dedit *ignem* (7 et passim), πᾶσαν τέχνην (110), ademit mortis praescientiam data *spe* (243 sqq.), dedit, ut statim ante narratur (a vs. inde 443), *scientiam aedificandi* (450 sq.), *distributionem anni* et *ortus occasusque stellarum scientiam* (454 sqq.). Iam nunc memorat *numerum*, et *litterarum characteres*, quo facto statim subiicit se primum *iumenta domuisse* (462 sqq.), *invenisse vela* (467 sq.), *medicamina* (478 sqq.), μαντικήν (484 sqq.), *metalla* (500 sqq.).

